2047


BIBLIOTECA DEL DVQVE DE MEDINACELI Y SANTISTEBAN
Stern Gr. Paris

16-2


Tu meta laboris
A. M. Wolffgang Sculps. Aug. Vind.

ARS
MEMORIÆ,
Sive
Clara & perſpicua
METHODUS
Excerpendi Nucleum rerum ex omnium Scientiarum monumentis.

Expedita quoque ratio per apertas Rhetorices vias excerptis utendi.

OPUS
in tres Partes diviſum,
LITTERARUM SEDULIS CULTORIBUS,
novellis præcipuè Verbi Divini
Præconibus, ac vitæ religioſæ
TYRONIBUS UTILE,
editum

à

R. P. THOMA ERHARDT
Weſſofontano, Ord. S. Benedicti in Congregatione
SS. Angelorum Cuſtod. Theologo.

PARS I. & II.

Auguſtæ Vindelicorum,
Sumptibus Joannis Strötter, Bibliop. Anno 1715.

CELSISSIMO

Et

REVERENDISSIMO

S. R. I.

PRINCIPI

Ac

DOMINO DOMINO

FRANCISCO ANTONIO,

ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI,

S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO

GERMANIÆ PRIMATI,

S. R. I. PRINCIPI,

Ab

HARRACH &c. &c.

DOMINO DOMINO CLEMENTISSIMO.

Celſiſſime ac Reverendiſſime

S. R. I. PRINCEPS

&c. &c.

Domine Domine Clementiſſime.

TAnta eſt Sapientiæ tuæ magnitudo, ut ea exerceat jam multos annos doctiſſimorum virorum ingenia: ea virtutis tuæ præſtantia, ut quamlibet proborum voluntatem in ſui admirationem non minùs feliciter rapiat, quàm ad ſui imitationẽ fortiter compellat. Conſervatrici rerum memoriæ tam amplum es, quàm pulchrum objectum: paucis. Magnorum magni animi in te ſolo reperiunt, quod intellectu conſiderent, voluntate ament, memoriæ conſecrent, & æternitati. Térque quatérq; precor, proſperè ſuccedat hæc laborum trias: producat ratio frequen-

ti panegyri virtutem tuam, non una Univerſitas Salisburgenſis, ſed Orbis Europæus univerſus eandem conſectetur, & (faxint Superi) à ſplendore tuo innumeri ſplendebunt. Verùm hîc iraſcor memoriæ, ac eam ſi non perfidiæ, certè inconſtantiæ ream ago. Vellem Sapientiam & virtutem tuam non tantùm in meritô tuô, ſed etiam exemplô noſtrô immortalem, non tantùm modernæ, ſed etiam omnium futurarum ætatum mentibus ceu quoddam probitatis ectypon impreſſam. Aſt quis leges oblivioni dictet? Memoriæ conſtans inconſtantia maximum amoris objectum, (maximorum aio Virorum exempla) ita è ſinu paucos inter annos nobis ſuffuratur, ut ne nomina quidem eorum repetere valeamus. Ne gloria tua ullo unquam tempore iſthæc diſpendia ſubire poſſit, Memoriæ lubricitatẽ artis vinculis aſtringere, *Artem Memoriæ* adinvenire oportuit, cujus adminiculo etiam poſt fata vivas, mori poſſis mundo, non tamen mentibus noſtris, eâ ferme ratione, quâ obire quidem poſſunt artifices, non tamen artium objecta. Eris nempe ſemper *Ar-*

tis Memoriæ objectum, à qua ſemper intellectui, quod conſideret, voluntati, quod amet, ſuggeratur. Ars igitur hæc Memoriæ haud à te ſuo objecto avelli debuit, ſed conjungi, nec aliorſum amandari.

Nec poteſt tibi hæc Ars eſſe ingrata vel ſolo objecto *Principalitatis*, quod tu es, Papa Germanus, Harrachidum decus, Gloria Germaniæ. In tres illa partes abit. In prima dictis, & exemplis Maximorum virorum, & cuique ætati perſpicuis argumentis oſtenditur, quàm neceſſarium à tribus animæ potentiis, & ab officiis, quibus diſtendimur; quàm glorioſum ab illuſtrium Doctorum exemplis, quàm facile à præclaris regulis, quas offero, ſit ſtudium notandi (inſculpendi potiùs dixero aliàs labili Memoriæ) viros maximos, qualis tu es, & dogmata illuſtria, è quibus tu vivis; virtutes præſtantes, quibus orbem imples; compendio loquamur: omnium Scientiarum tam publicis, quàm privatis com̃odis profutura arcana, quæ tu ornas, & quibus tu pari (maximo) fœnore ornaris. Altera noſtræ Artis

pars

pars tota eſt in regulis, methodóque, quarum cultu Munificentiam tuam, zelum tuum, virtutem tuam, tibíque ſimilium Virorum Geſta ita poſſumus memoriæ velut æri inſcribere, ut eradi nulla unquam oblivione poſſint; & ſi poſſint, illicò feliciùs inſtaurentur. Tertia pars Rhetoricam in ſubſidium evocat, ut quæ memoriæ impreſſimus, non velut otioſus theſaurus in ſcrinio clauſo reſideant, ſed facili operâ in varios tam ſacræ, quàm profanæ reipublicæ uſus ad ſtabiliendas Jurisprudentiæ leges, ad firmanda Sacræ Doctrinæ argumenta, & reliquarum ſcientiarum expeditam conſuetudinem convertantur.

Cauſæ verò, quæ me ad tantæ molis opus impulêre, tu es Celſiſſime Princeps, impulêre Viri Magni, quos nunquam mori vellem, ſed velut viva virtutum prototypa in mente circumferri; impulêre hinc fidei præſtantia, inde memoriæ labilitas; hinc veritatis pulchritudo, inde ætatis inſidiæ; hinc ſcientiarum omnium bonũ, inde malum oblivionis; impulêre Sapientûm effa-

ta publicis typis, integris libellis comiſſa; *Qui legit, & lecta non decerpit, legendi fructum prodigit rapaci tempori, & ludo perfidæ memoriæ exponit.* Ne igitur me oblivioni ludum facerem tam gravibus dictis animum, manum tabulis ad excerpendum dedi, ſed cùm nullæ mihi, quibus excerpendi ſtudium regerem, leges eſſent, & ullas unquam ab aliena induſtriâ conquirere poſſe deſperarem; parùm abfuit, quin manum, animúmque à cœptis avocarem. Verùm utilitas excerpendi conſtantiam, & conſtantiæ tandem regulas ſuggeſſit. Has privatis meis comodis in ordinem eo ſucceſſu redegi, ut eas primò probarent Majores, tum promoverent, demum ut in publicam lucem proferrem, juberent. Licet autem juſſus, non tamen omni metu liber prodeo. Solent enim nova, quia inſolita, ut multorum oculos, ita multorum, ſi non invidiam, certè cenſuram in ſe convertere.

Hoc tamen mitigat metum meum, novam hanc *Memoriæ Artem* à nativitate ſuâ adhuc tam madidam, quàm meo timore trepidam à meis Superioribus ad eum

Principem ablegari, cujus ſingula nomina ſint contra quosvis zoilos valida munimenta. Sub illius properas præſidium Libelle mi, quem non tantùm nemo non amat; ſed nec ullus odiſſe poteſt quidquam eorum, quod ille amat. Celſiſſimi ac Reverendiſſimi S. R. I. Principis Franciſci Antonii Archiepiſcopi Salisburgenſis non quidem mea præſumptione, aut pretio tuo, ſed ſolâ Ejus prorſus ſingulari, & Harrachìdum nomine dignâ beneficentiâ tibi ſinus patet. Hac tutelâ, ut nihil tutiùs, ita nihil glorioſiùs. Ibi enim Harrachidum gloria ſui nominis fines ponit, ubi Virtus ſuos. Nullos habet in Orbe Europæo: pervadit obitis apud exteras nationes legationibus; nullos habet in Eccleſia Dei: purpuram Cardinalium, Pontificúmque mitras plus illuſtravit, quàm illuſtrata eſt. Quis vaſtum Harrachicæ Gloriæ horizontem in una pagella depingat? Nullum fortuna, Sapientia nullum, virtus illuſtriſſimis familiis ſtruxit honoris gradum, quem gens Harrachica non ita conſcendit, ut prius ad faſtigium, quàm alii ad umbilicum, perve-

niret. Hæc gens dedit Imperatoribus (a) Duces, curiis conſiliarios, provinciis præfectos, & ipſis Principum moribus moderatores, Przybislaos, Bernardos, Thomas, Franciſcos, Albertos, Ottones, Fridericos, Carolos, Leonardos. Quanta nomina! Quid eſt Principum, & Regum cenſeri ſanguine? ſplendorem nominis (b) Cæſarum, & Auſtriacæ familiæ, qua nulla ſub ſole illuſtrior, faſtis propinquitate, & ſanguinis jure inferre? Et tamen hæc tantùm ſunt præmia Harrachicæ Virtutis, ſeu ut veriùs loquar, debita ancillantis naturæ, quibus obſtricta tenetur *Dominæ* h. e. Virtuti Harrachidum. Deus ipſe in partem gloriæ ſuæ numerat, huic Genti debere, qua nullum poteſt ab homine capi majus bonum, ſanctitatem. In teſtem advoco Ven. & Illuſtriſſimum P. Georgium ab Harrach, qui (c)

ab ipſo

A. Id non minùs graphicè oculis, quàm doctè mentibus exhibet noſter Clar. D. P. Romanus Sedlmayr in Philoſopho ſuo Porphyrio, ubi tertiam operis partem Illuſtriſſimæ huic Familiæ conſecrat. B. loc. cit. ubi coll. 5. §. 3. diſc. 13. Celſiſſimum Principem Franciſcum cum Auguſta Hiſpaniarum Regina in ſexto gradu conſanguineum oſtendit. C. Monumenta Talheimenſis monaſterij, in quo vixit. D. Danielis 12. 3.

ab ipſo Protoparente S. Franciſco de Paula in Minimorum ordinem adlectus vitæ tum innocentiâ, cum auſteritate inter magna ſanctitatis oſtenta tam magnus evaſit, ut Cœlites frequenter conſpicuos haberet, Chriſti Aviam,& ipſam Dei Matrem in ſuaviſſimam conſuetudinẽ de cœlo in cellam attraheret. Teſtimonium quoque fert Benedictus Magnus. In immenſo Sanctorum filiorum, filiarúmque ſuarum albo recenſet hic ſanctiſſimus Patriarcha auro charitatis, & argento virginitatis deſcriptos utriusq; ſexûs Harrachides. Unam ex multis commemoro Reginam de Harrach. Hæc Romæ nata mundo in Göſſenſi parthenone anno 1612. 26. Julij denata ita Deo, ordiníque ſacro in perpetua oratione vixit, ut cùm año 1628. 8. Id. Sept. devixiſſet, nono poſt obitũ anno globi precatorii ſuo adhuc illæſo funiculo inſerti prorſus integri reperirentur. Quanta hæc gloria! Alias familias mors funeſtat, tuam Celſiſſime Princeps honeſtat. *Ex funere vita.* Verùm plus æquo dilabor. Redeo ad ſemitam. Quidquid magni (nil parvi tam magnis eſt) di-
xer

xero de Majoribus tuis non ſolùm ſanguinis jure, ſed & animi virtute poſſides. Illuſtriſſimæ familiæ tuæ Pemptuſia es, Germanorum *Primas Natus* comuni Eccleſiæ bono; ac, cui natus es, vivis, nempe omnium, qui honeſtatem ſectantur, incrementis.

Quocirca mirari nemo debet *Artem Memoriæ* in parthenio Artium Lycæo ad D. Virginem Vilgertshovij conceptam, & natam, Majorum meorum ſtudio nutritam è devotiſſimo Monaſterio Weſſofontano tantâ fiducia Salisburgum properare. Inter regulas enim ſuas etiam hanc habet. *Adjungito cunctis artibus objectum*: hinc nec debuit, quia tu quoque Artis Memoriæ magnum objectum es; nec potuit trepidè venire; quia ad eum venit, qui parva non abnuit, ſed ex parvis magna facit. Documento totum Weſſofontum eſt. Ex eo duos Artium LL. Magiſtros tuæ Univerſitati Salisburgenſi uno eodémque tempore educere, alios in parem ſpem fovere, ipſum demum (adeo nihil Weſſofonti à beneficiis tuis vacuum eſt) Thaſſilonem II. Reve-

ren-

rendiſſimum Patrem & Abbatem noſtrum fulciendo Salisburgenſi Scientiarum Athenæo *Aſſiſtentis* nomine, & gloriâ acceſſere dignatus es. Non potes nempe non illuſtrare velut quidam Litteratorum Sol, qui Clementiſsimam tuam, & tot radios, quot gratias evibrantem faciem probè ſolent ſubire.

Accipe igitur Celſiſsime Princeps *Artem Memoriæ*, indignam quidem ſinu tuo, ſi quod à me, dignilsimam autem, ſi, quod à te habet, conſideres. A te, tuísq; habet amplisſimum objectum, quod Memoriæ comendet: à me formam gratitudinis, quam Sacra Religio noſtra, & totum Weſſofontum tuæ beneficentiæ debet. Et ſi fors etiam huic formæ non is decor eſt, quem & nos vellemus, & tibi debemus, majora molimur. Dent Superi vires, & Gloria S. Benedicti, cui Harrachidum virtus non paucos ſanctimoniæ radios affundit, ipſa argumenti majeſtate fulgida, auréis invecta quadrigis, quàm primùm ultimam manum acceperit, ad virtūtis tuæ domicilium, ut gloriam, noménque tuum

tuum per orbem circumvehat, Salisburgum appellet. Interim dum hos conatus adornamus, adoramus quoque Numen in te & tibi, ut ſexcenti glorioſæ mitræ tuæ uniones in omnem vitam tuam ſemper magis, & magis reſplendeſcant, donec ex Gemma Pontificum evadas Stella Cœlitum, & fulgeas (d) in perpetuas æternitates.

Vilgertshovij ad Thavmaturgam. Deiparam an. 1715. pridie Cal. Febr.

Reverendiſſimæ Celſitudinis tuæ

Clientum infimus

P. Thomas Aquinas Erhardt
Prof. Weſſofont. Ord. S. Ben.

Præfatio
ad
Amicum Lectorem.

NOva, & vetera fero benevole Lector. Nova, ſi hujus libri primam, & ſecundam partem aſpicis: vetera, ſi tertiam. Illæ Artem Memoriæ, hæc *Rhetoricam* complectitur: illæ hactenus nunquam editæ, hæc ſæpius cuſa, & recuſa eſt: in illis neceſſitati, in hac tuæ utilitati conſului, utrinque charitati, meæ, & tuæ: meæ quidem, imperiô majorum ad hoc ſcribendi genus pellectæ, tuæ, in commune, & proprium bonum propenſæ. Reperiet in hoc libro hæc tua charitas amplum ſeſe exercendi campum: in prima quidem ejus parte argumenta, cauſasque, quibus ratio ſuaviter, & efficaciter inducatur, ut, quæ didicimus in artium liberalium ſtudiô, maturè oblivionis rapacitati ſubducamus: in alterâ regulas, & præſidia, quibus id ipſum faciliter præſtemus. Cùm autem vanitas ſit, multa ſcire, & non uſurpare; ac etiam impietas, magnum variæ litteraturæ horreum in capaciſſimo ingenio poſſidere, & publicis uſibus occludere, in tertia parte Rhetorica magna illa ſcientiarum Oſtiaria clavem adfert, qua tuis, aliorumque commodis, quidquid capite capis, reclu-

Ichnographia Operis.

das. Inde depromes paſcendæ menti tuæ varia *meditationum*, *conſiderationum*, & *precationum* alimenta; inde proferes ad ſternendam etiam alienæ fami, proximique tui guſtui menſam *Orationum*, *Epiſtolarum*, *Chriarum*, & aliorum, quibus enutriuntur animi, opiparum apparatum. Nec ſinas te benevole Lector ab iis interpellari, qui notantium, & excerpentium calamos, furum uncinos, ac *Notata* furtô raptis manipulis repleta horrea dictitant.

Materia

Hanc, quam paucorum ſeu invidia, ſeu inſcitia induxit, famæ ignominiam detrahet Eubulus, qui meas, ſuásque, hoc eſt Magiſtri vices pro virili ſua obiens candidè, & perſpicuè demonſtrabit, neminem puriùs diſcere, & quæ didicit in rei litterariæ commoda innocentiùs, & utilius proferre, quàm qui non dedignatur ſe hominem profiteri oblivioni obnoxium, & eidem propulſandæ ſedulè notante calamô ſeſe armare: oſtendet tibi materiam *notandi* eſſe longè aliam, ac hi temporis, litterarum, & prô dolor! ſæpe ſui prodigi Naſones (Zoili dici nolent) jactitant. Diſces materiam eſſe utilia, magna, pulchra, jucunda, nova, audita à te excogitata, futuris uſibus parata, & paranda. Nec cauſeris vires ingenii tui nec novis rebus intelligendis natas, minus inveniendis capaces: à mediocri namque ingeniô, ſi haud mediocris, ſed eximia, & conſtans induſtria acceſſerit, nil mediocre Majorum noſtrorum experientiâ expectandum eſt: contendit ad magna modicis initiis, & quò humiliùs

libris

libris velut fulcris innitens conſurgit, eò altiùs enititur.

Hoc animô Divini Numinis ope niſ- *Finis.* xus, ut ſurgere diſcas, in geminum præſidium mea de te, & in te de litteris bene merendi ſtudia intendi. Primum, ut ſectarer modum docendi facillimum, & cujusvis ingenio expromptum. Eâ prærogativâ Dialogum extollunt: proin toto opere omnem docendi, diſcendíque provinciam mutuis interrogandi, reſpondendique vicibus Eubulus, & Euſebius percurrunt, ille Magiſtri cathedram, iſte diſcipuli ſubſellium tenens. Tum curavi, ut Eubulus (in tertia præcipuè parte) omnia exempla, quò facilius ad capium, & imitationem paterent, ex ſuôpte ingenio depromat.

Qua re ſublatum confido ſaxum il- *Media.* lud, in quod novelli eloquentiæ tyrones ſæpe non impingunt tantùm, ſed etiam illiduntur, aut certè animô cadunt, ut in ſpem condiſcendi Rhetoricam nunquam amplius fortiter conſurgant, tædium nempe inquirendi, in quibusnam vocibus, dum integræ farragines ex Cicerone variis ex Locis, figuríſque contextæ afferuntur, dictorum, & regularum exempla ponantur. Unde malui nonnunquam in fidem Rhetorices parumper, quàm in hanc exempli claritatem peccare, ratus peccatum pro diſciplina fore, ſi ſingula quæque exempla ſuis regulis ex æquo reſpondeant, etiamſi à communibus (velut eſt, ſi ex uno Loco integram theſin produco: vo-

lunt enim Loci, ut & figuræ variari) eloquentiæ legibus pulchrè exerrent.

Porro noſti, Rhetoricam ſcientiam amplam eſſe, &, ſi ulla alia, oblivioni obnoxia. Amplitudinem cöegi in eos cancellos, ut tamen decori nil decederet, ſed integerrimus in ſex tabulis ſpectaretur; atque hac ipſâ ratione à me ſtabiliendæ memoriæ virtutem collatum iri confido, aut certè mediam, idque forſan (eam mihi ſpem è tua induſtriâ, & ipſo tabularum oportunô uſu, & utilitate polliceor) feliciore compendiô, quàm aſpectu, licet earum uſus ſerium duntaxat aſpectum requirat. Ut autem idem aſpectus tibi ſit expeditior, & ſine temporis diſpendio utilior, author tibi ſum, ut quamlibet tabulam tuâ, aut ſcrinarii arte ſuffixam in muſæo tuô ad pulpitum, & ſub ipſos oculos ſuſpendas. Qua ex induſtriâ duo tibi polliceor emolumenta; unum tuæ memoriæ: quippe Loci, figuræ, aliæque Rhetorices præceptiones ſemel menti ritè inſculptæ, licet temporis lapſu aboleri videbantur, ſerio hoc aſpectu inſtaurari poterunt; alterum profectui, & actuali (ut dicimus) ſtudio, aut compoſitioni. Hæret calamus ad Locos velut ad ſabulum, téque argumenta, inventióque deſtituunt? adi Ichnographiam primam, & aptos themati Locos relege. Sentis in varianda, exornandáve dictione obicem? aſpice Ichnographiam ſecundam, & aptiores figuras repete. Humi ſerpit calamus? intuere Ichnographiam tertiam, & troporum animâ ſermo-

ſermonis acediam elimina. Pari ratione, ſi vis *Demonſtrationi*, aut *Deliberationi* fæcundam, aptamque eruere materiam, invenire argumenta, hæc eademtandem in eximiam orationis majeſtatem, aut potentiam efferre: *Demonſtrationem* quarta, *Deliberationem* quinta tabula expeditam reddet; utramque ſexta exornabit. Ut autem, ſi (velut brevitas nequit ab omni natalitia ſua caligine vindicari) tabulæ votis tuis non reſponderint hærentemque calamum non promoverint, faciles & promptas ſuppetias poſſis à Libro, & fonte repetere, ſubjeci ſingulis tabulæ modis numeros, qui te rectà ducent ad tertiam Operis partem, ubi dein fuſè deductum invenies, quæ in tabulâ velut in Iliadem coacta ſunt. Numeri verò iſti (ut etiam ad Indicum capita animadvertere te volui) ſunt marginales.

Cætera benigne Lector, quorum in ipſo te veſtibulo monitum velim, dicet tibi ſuo quæque locô Eubulus, tu modò Euſebii munus, & muneris conſtantiam non dedigneris. Id ſi impetravero, ipſa rei dignitas, tuáque diſcendi cupiditas ſpes mihi alunt ingentes, fore, ut litteras digno pondere trutinare, bene legere, lecta utiliter, & ritè excerpere, humana, divinaque meditari, orationes publicis & ſacris roſtris haud indignas concinnare, epiſtolas exarare, aliaque ſeu publicæ, ſeu privatæ vitæ munia eo fructu obire condiſcas, quem à te majorum juſſa, & vivendi rationes exigere poſſunt. Laboris mei à te aliam mercedem non peto, quàm tua lucra, ſed in his mihi, & tibi *Deum*: qui ut ſemper in me, & in te, ac in omnibus (a) glorificetur, ora pro me, Fruere, & vale. Vilgertshovii ad *Doloroſam*, & Thavmaturgam *Deiparam Anno Domini* MDCCXV, quarto Calend. *Apr.* *Præmial.*

Lucri, & ſtudii tui
ſtudioſus

A. Reg. S. B. c. 57. v. 9.

Auctor P. Thomas.

APPROBATIO

Congregationis Benedictino-Bavaricæ ſub Titulo SS. Angelorum Cuſtodum.

NOs Placidus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Abbas Monaſterij Cellæ Beat. Virg. Mariæ, & Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præſes Generalis facultatem concedimus, ut *Ars Memoriæ*, à R. P. Thoma Erhardt, Cong. noſtræ Presbytero Weſſofontano compoſita, & à deputatis noſtris Theologis lecta & approbata Typis mandetur. In cujus rei fidem has litteras manu propria ſubſcriptas, & Officij noſtri Sigillo munitas dedimus in eodem celeberrimo Monaſterio Weſſofontano. 19. Octobris, Annô 1714.

Placidus Abbas
& Præſes.

INDEX

Capitum, & Paragraphorum.

Leges numerorum, repete à capite Indicis poſterioris.

PARS I.

De Natura, & præſtantiâ Excerptorum.

INgreſſus ad dialogum. n. 1.

Caput I. Tres animæ potentiæ exigunt Artem Memoriæ. n. 4

Caput II. Munia, quæ tractamus, ut ritè obeantur, ſibi vendicant Artem Memoriæ. n. 12.

Caput III. Artem Memoriæ Magnates Eccleſiæ ſemper magni fecerunt, & ſuo exemplô docuére. n. 22.

Caput IV. Ars Memoriæ ingentia commoda affert. n. 33.

Caput V. Ars Memoriæ eſt ſuaviſſima litterarum condimentum, & ſyncerae plena jucunditatis. n. 41.

Caput VI. Artem Memoriæ commendant honor, honeſtas, ac decet quemque litterarum amantem. n. 54.

Cap. VII. Ars Memoriæ facili Minervâ addiſcitur. n. 63.

PARS II.

De modô Excerptorum.

CAput I. Quid, & quotuplex ſit Ars Memoriæ. n. 71.

Caput II. Quid, & quotuplex ſit Titulus ? n, 76.

Caput III. De Titulo Subalterno. n. 80.

Caput IV. De Subalterno Minori. n. 89.

Caput V. De vagis. n. 93.

Caput VI. De ſchemate, & regulis vagorum. n. 99.

Caput VII. De Titulô Infimo. n. 103.

Caput VIII. De Libris Artis Memoriæ. n. 106.

Caput IX. Recenſentur Tituli reliquorum Librorum. n. 112.

Caput X. De Concurſu Librorum, & Titulorum. n. 117.

Caput XI. De pura Citatione. n. 121.

Caput XII. De Libris, ex quibus materiam ſuam ſumit Ars Memoriæ. n. 125.

Caput XIII. Afferuntur exempla, & Schemata Singulorum titulorum. n. 135.

Caput XIV. Recenſetur ſyllabus nominum, quæ juxta leges Subalternorum reducuntur ad plures Titulos, n. 145.

PARS I.

De Natura Artis memoriæ.

Ingreſſus ad dialogum.

1\. *Erigit animos ab*

E*Uſebius*. Luſtraveram nuper bibliothecam patriæ noſtræ illuſtriſſimam, & facilè principem. Demiratus ſum longô hinc ordine, qui divinitatis abdita rimantur, Theologos; Illinc, qui intima quæque naturæ pervadunt, Philoſophos. Ex una parte ſe ſe oculis longâ ſerie ingerebant, qui hominum moderantur in ſacro profanoq́ue foro libidini, ſacræ Themidis antiſtites: ex alia conſpicabar non minori numero diſpoſitos, qui per omnem ætatis memoriam abducunt, hiſtoricos. Paucis: Muſas omnes ſuo cum Apolline in hunc Parnaſſum commigrâſſe cenſui, tam multa oculos, manusq́ue ſubiêre.
Eubulus. Eam mihi orexin moves, ut nihil potius habeam, ac inſpicere, quam mihi dilaudâſti muſarum ſedẽ.

Euſebius. Si te ſocium habuiſſem fortunæ, jam nunc & te haberem mœſtitiæ. Cùm libros aſpicio, triſtari ex

Oblivione dejectos ad

æquo diſco,& humanæ inſcitiæ ingemiſcere. Multos jam annos perdio, & pernocti ſtudio fatigavi,ut æquam mihi doctrinam compararem, ſed infracto labori quantillus reſpondit fructus? velut orientis ſolis radij optima ſunt & pulcherrima conclavium periſtromata, ſed quæ die, quo dantur, aufferuntur: ita lux ſcientiæ, quæ nunc intellectui meo affulget, exiguâ temporis intercapedine ab infida memoriâ in tenebras abripitur. Quid prodeſt ſciviſſe, quæ neſciam? Beatiori ſorte utuntur, qui jugera, quàm qui ingenia colunt: illis plena horrea,his vacua capita poſt improbos labores ſæpe rependuntur. Ac velut unda trudit undam: ita unius rei parta notitia alteram memoriâ excludit. Si qui verò ſunt,qui fidelioribus muſis utuntur, quàm ij ſint pauci,quis neſcit? Eorum albo me natura excluſit, quis admittet? Hinc cum capio, capior, ac diſcendo paro materiem oblivioni; ſicque doctiſſimâ ignorantiâ ætatem tero, & annos,vires flacceſcunt,hebetantur oculi, vis capitis deperit,ut meritô nemo magis dicatur pueraſcere, ac doctus non vitæ innocentiâ, quam ſæpe abſumit faſtus; ſed vi ſapiendi,

quæ

quæ ſapiendo exhauritur. *Eubulus.* Morbus hic (fateor) eſt humanæ naturæ non poſtremus , haud tamen deſperatus : Deus T. O. M. etiam huic, ut cæteris, ægritudini pharmacum ſuum proſpexit. Velut intellectus ab inſcitia, à vitiis voluntas ſtudiô , exercitiô,& ſanis medijs,ſi divinæ opi fortiter nitantur,redimi poſſunt; ita & memoria,ſi non perſanari,certè ſanari poteſt. *Euſebius.* O exſpectatam medicinam! anne & mihi aditus in eam pharmacopoeam patet, unde laboranti memoriæ promiſſam opem depromam ? *Eubulus.* Patet ; ut tamen te celem nihil, Medicina, quam tibi loquor, abhorret à motu, averſatur publicum , ſedulum exigit calamum, diſcendi proſcribit ineptam curioſitatem, uni ſcientiæ ingenium ceu dominæ addicit, cæteras ut ancillas habet. Et ut ſine velamine pateſcam ; diſce ritè legere , ritè, & ordine excerpere, ritè , ordine, & ſedulò excerpta uſurpare ; paucis artem memoriæ cole, næ inveneris præſentiſſimum remedium. *Euſebius.* Itáne ritè legere , ritè , & ordine excerpere ; ritè, ordine, & ſedulò excerpta uſurpare potentiſſimum ſit inſtaurandis laborantis memoriæ viribus em-

2. Legendum

3. Regulis ſervatis.

emplaſtrum? *Eubulus*. Ita eſt: per me licet; fidem meam poteris periclitari. *Euſebius* quantus cumulus grandibus illis tuis in me beneficiis acceſſerit, ſi mihi tanti boni copiam feceris. *Eubulus* diſco, ſi doceo, meque re litteraria tantò magis auctum cenſeo, quantò plura in alios derivo. *Euſebius*. Tua me liberalitas audacem facit. *Eubulus* totum tibi ingenium meum vectigale reddo: plus oblatis pete: ut muſæ meæ tibi omnes famulentur, pædagogi provinciam ſumo, Ut ergo, quam tibi nunquam ſatis laudavero, artem intimè animo tuo infigam, à primis repetitam principiis, evocabo. *Euſebius* ſuperas meam petendi licentiam dando. Id ipſum omnibus votis concupiſco. *Eubulus*. Ergo propitiis ſuperis diſſeremus primò de natura, & indole Artis memoriæ. Quantum in illa neceſſitatis, utilitatis, & ſynceræ voluptatis lateat, ſubceſſivis horis afferemus. Ibimus dein recto calle ad regulas, inde ſermonem vertemus ad uſum ceu finem omnium dicendorũ. *Euſebius*. Reddat immortalis Deus tibi gratiam hanc immortalem, En totum me culturæ tuæ cedo. Fructus, quos meſſuero, integra fide, & perren-

ni

ni gratitudine horreis tuis inferre curabo.

CAPUT I.

Tres animæ potentiæ exigunt Artem memoriæ.

4. *Eſt neceſſaria à præſtantiâ intellectûs*

E*Ubulus* Mirum eſt omnipotentis DEI humanus intellectus artificium Euſebi: auctorem ſui ipſa ſua agendi vi effatur: omnia, quæ claudit hæc rerum univerſitas, ampliſſimo ſinu complectitur. Alta conſcendit, ima rimatur, abdita penetrat, impervia ſubit, ipſa Divinitatis adyta ingreditur, & cùm arbitratus fuerit univerſa, quæ ſunt, effingere valet, quæ non ſunt, ut conſideret, ac ſi forent, entia rationis. Quid quòd non ſolùm rerum omnium naturas, & indolem pervadit, ſed in una quaque re, quæ ſui modicitate vix oculos ſubire poteſt, tam multa conſpicit, quæ numeret; tam arcana attingit, quæ exenteret: tam varia venatur, quæ colligat; tam mira producit, quæ doceat, ut, ſi prodigia, quæ in unica muſcâ contemplatur, calamô exciperes, grandi volumine excepta vix poſſes complecti.

5. *Voluntatis*

Sortitus eſt intellectus univerſitatis Rex ſponſam regiam ſe digniſſimam

voluntatem, licet cæcam: quæ tamen viſu ſponſi ſui oculatiſſima bonis his, quæ liberalis natura profert, non contenta in dotem affert Theſauros Divinitatis, cui uniri, & velut una res cum ipſa effici valet. Modò cum Seraphinis in amoris divini incendiô colliqueſcit, modò pro Numinis honore omnem etiam è venis ſanquinem affundit. Quin ſui ipſius victima, & ſacerdos cum igne divino conſumpta fuerit, reviviſcit, & ab incendio vivacior, ab interitu ſui firmior omnem formam induit. O quantùm, cùm miſericordia jubet, compatitur! cùm adverſa premunt, ſuſtinet! cùm fauſta levant, deſcendit! Eo prope momento, quo cæli penetralia ingreditur per amorem; in abyſſum inferni deſcendere valet per odium peccati.

6. *memoria* Non minorem admirationem meretur memoria. Da cœlorum im̄enſitates, undarum, flammarumque vaſtiſſima regna, totius terræ immenſam molem, hæc omnia recipit, concludit, comprehendit in modico receſſu memoria. Et cùm tantam multarum varietatem, magnarum molem, & demum diſſitarum rerum intercapedines concluſerit, omnis confuſio

mi-

miranda fide prorſus abeſſe jubetur. Præteritis præſentiam, præſentibus modum, futuris legem tribuit. In alterum orbem rejectos montes, regna, & climata adducit, ut habeat, quod conſideret Philoſophia, quod dimetiatur Geometria, & Politica diſpenſet. Quæ de coloribus oculus, de cantibus auris, de odoribus nares, ac aliæ operandi facultates unquàm arbitratæ ſunt, poſt longam annorum ſeriem adhuc videt, audit, odoratur, & tuetur memoria; & quidem ea omnium antecedentium, comitantium, & conſequentium integritate, ut ampliſſimam materiem intellectui, quæ diſquirat; voluntati, quæ amet; ac toti cæteræ potentiarum familiæ, quæ obeat, ſubminiſtret.

Verùm enim verò potior pars hujus beatitatis deperiit protoplaſti culpâ! Nobiliſſima hæc trias in tetrum fæculenti corporis carcerem abjecta quantùm deſcivit à ſeipſa! Toti dies, integri anni in caligine ſcholaſtici pulveris, & frigidæ noctes ad inſomnem lucernam trahendi ſunt, uſque dum quisque diſcat, quæ doceat. Ac cùm his ſtudiis triverimus ætatem, intellectus non ſervat tenorem; ſed cùm

7. *clade miſerrima intellectûs in diſcendo.*

apicem cujuſdam rudis doctrinæ rarâ felicitate conſcenderit, ita decreſcit, ut prope depueraſcat. Hæc miſeria non ſolùm canis inſultat, ſed etiam robori ætatis inſidiatur, licet parùm mitiori flagello. Identidem pervigili curâ opus eſt, ut, quæ per magnos labores Muſarum conſuetudine comparavimus, cùm conſtanti inconſtantiâ defluant, inſtauremus. Pari namque fere vitio laborant ingenij, ac mundi opes; ut ſæpe non minori ſtudio conſerventur, quàm quærantur.

8. *voluntatis in operando.* Majori verò inclementia hoc malum graſſatur in voluntatem. Jam deſiit eſſe bonus, qui non inſudat, ut ſit melior. Nec nativis tantùm tenebris laborat voluntas, ſed delectatur. Decipere gaudet, & decipi. Cumque omnibus perituris deberet dominari, omnium vanitati ancillatur. Quamvis optimus Deus caverit, nequa res ipſam ineſcaret, niſi bona, ſemet tamen rebus vaniſſimis ludum facit, dum eis larvam boni inducit, ut amet. ſicque miſerè in malis ſuis triumphat, ac cùm captiva ducitur per vias pravas in omne malum, ſibi de palma, & felicitate applaudit. Bis eſt cæca, & cùm ducem expertiſſimum

mum repudiat; & cùm impoſtores ſenſus ceu optimos faciendorũ auctores auſcultat; qui, cùm ſint non ſolùm aſtutiſſimi voluptatum arbitri, quàm impudentiſſimi lenones venenum miſeræ voluntati pro melle obtrudunt. Atque hâc ratione evenit, ut cicutam hauriat, cùm ſe ambroſiâ delitiari gloriatur. Propagatur hoc malum uſu, & raró incipit, quod amet: niſi fraude ſit obauratum, quæ decipit: plus coloribus, & corticibus, qui tota fides oculorum ſunt, tribuit, quàm rebus, & nucleo.

De Memoriâ quid dicamus? Miſerias ſuas non capit, ſed capitur. Vaſtiſſimum illud ſpatium recipiendi totius præteriti infinitatem occupat oblivio. Et licet pars quædam (aut potius partis imago) relicta ſit primogeniæ fidei, ita tamen à ſua damnatur inconſtantiâ, ut quamcunque fere notitiam ab intellectu recipit, non niſi modo peregrinantium admittat, quibus nulla manendi fortuna, ſed ſolùm eundi mora conceditur. Velut aqua cùm agit, abigit, fluendoque diffluit; ita & memoria fluminis ritu toto ſuo cum ſpecierum impreſſarum apparatu dilabitur. Quin beatiori ſorte fruuntur

9. memoria in retinendo.

 rivuli.

rivuli. Iis namque ad diffluens diſpendium ſufficitur jugi fluore ſuccedaneum aquarum incrementum. At memoria diffluit à ſe ipſa, & torrentes imitatur, qui, ubi maximè exundant, ſiccantur.

10. *Perficit* Atque hæc eſt mi Euſebi ſplendida paupertas noſtra, diſcors ordo, & docta ignorantia. Et quæſo quis ingenui animi Dominus? quis ſynceræ rationis arbiter, hæc omnia otioſo aſpectet obtutu? an non agitur de ſumma noſtri, ſi de fortuna intellectûs, voluntatis, & memóriæ agitur. Videmus omnes, quantis malis hæc ab oblivione, illa à malitia, iſte ab ignorantia impetatur, & quantam nihilominus ille capiendis ſuis aciem, quantum hæc fovendis virtutibus robur, iſta demum recipiendis omnium rerum ſpeciebus capacitatem ſubminiſtrent. Unde ſi nullo bonorum tenereris deſiderio, malorum metu compellendus fores, ut nobiliſſimæ tui parti, periculosè decumbenti, omni, qua poſſis arte, ſubvenires. ſed qua arte? Memoriæ.

intellectum Siquidem intellectus ſolâ ſcientiâ ab ignorantiæ injurijs vindicatur; ſcientiam verò vix, aut ne vix quidem ſine calamô

calamô fugacitati memoriæ ſubſidiante comparari mox demonſtrabo (a).

Voluntatem ſolâ virtute ſtabiliri in bono, ac perfici exercitio, non ignoras; quanta autem momenta jam iterum compellant, ut virtutum exercitia in omnem fortunam anotata circumferamus, confeſtim (b) videbis. *voluntatem*

De memoria quid dicamus? quotusquisque eſt, quem tenet cupido ſciendi. qui non ſtatim eorum, quæ didicit, percellitur timore obliviſcendi? Quoties audiſti has conquerentium, & optantium voces, & vota; utinam hanc, quam modò percepi notitiam, animæ velut marmori inſculpere poſſem. Quàm liberalem omnimodæ cognitionis ſupellectilem numerarem, ni miſerè à nocentiſſima prædatrice oblivione toties expilarer! Et quid non metus invenit, ut fores animi quoquo modo huic graſſatrici oppeſſularentur! Ito mecum Euſebi in propolarum officinas. Quot venales proponuntur tabellæ, pugillaria, rationaria! Ipſi domeſtici parietes, & creta in ſubſidium firmandæ memoriæ accerſuntur. Imò, qui omnem legendi, ſcribendique artem prorſus ignorant, ſciunt tamen timore oblivionis *II. memoriam*

vionis ingenium ſuperante ſignis, notis, figuriſque varijs, quibus ipſi certum ſignificatum affingunt, ſtudium ferre, ut præſentem notitiam conſtanter tuerentur. Non cœtus, non familia, non domus ritè diſpoſita, bene ordinata, ſalubriter inſtituta, in qua non diſponenda, ordinanda, & inſtituenda annotentur. Quid quòd rarò hominem eſt invenire, qui non pugillare, calamum, aut aliud memoriæ firmamentum circumferat. Adeo nempe modica eſt ejus fides apud omnes æquos arbitros, ut nemo ipſi fidere cenſeatur, niſi qui gaudet oblivíſci. Euſebi ſi hæc vera, uti ſanè ſunt veriſſima, quantam inducent tibi calami neceſſitatem, ſi ſtudia, ſi negotia, ſi finem, ſi media, ſi demum te totum perpendimus? ſtudia tua ſunt ardua, paucis pervia, ni conſtanti diligentia ſuperentur. Ex altera parte negotia externa in partes evocant, & diſtrahunt intellectum, memoriam labefactant, ſi his jungis geminam illam vaſtam, latam, & annoſam multitudinem eorum, quæ diſcas, & eorum, quæ facias, quis non videt memoriam multitudine obrutam, varietate confuſam, difficultate

fractam

fractam juvari debere? ſed nihil potentiùs in rem noſtram, ac finis, quô regis & regeris. Ut tibi, proximo, Eccleſiæ proſis, ſanctiſſimo conſilio vitam tuam ſtudiis mancipâſti. Hunc ſcopum ut aſſequaris, opus eſt innumeris propè regulis, legibus, dogmatis, uſque dum tandem intellectus excluſa nativa caligine lucem ſcientiæ admittat. Longè majori labore, indiget voluntas, donec callum exuat, & virtutis formam recipiat. Nec ſufficit, ut bonus ſis, bonum incepiſſe: habitibus, & ipſa boni conſuetudine in omnem fortunam roborandus es, ut nec ſiniſtra emaſculatè frangant, nec proſpera turpiter extollant. Novis legibus muniendus eſt oculus, ut è virtutis præſcripto videat; auris, ut audiat, ac ut reliqua ſenſuum familia ſuo munere ritè defungatur. Quantùm animus præſtat ſenſibus, tantùm ſibi vindicat curam exactiorem, nec à paſſionibus (ut vocant) in tranſverſum agatur, ſed ritè amet, & tantùm verum bonum; ritè oderit, & ſolùm verum malum: cupiat, ſed utilia; gaudeat, ſed honeſtis; fugiat malum, ſperet bonum ſed ſub debitis mediis; non ſinat ſe ſupprimi triſtitiâ, nec audaciâ ſuperari,

ri; reſtringat timor, ſed ſine deſperatione; regat deſperatio, ſed ſine ira, efferveſcat ira, ſed ſine vitio, ſine labe, ſine flagitio. Ut verò hæc omnia in mores redigantur, quot iterum legibus, documentis, ſancitis fatiganda eſt memoria! ne deſit muneri ſuo, ſed ſumma fide, cùm tempus, perſona, locus, ratio popoſcerit, optima media ſubminiſtret! Quomodo autem hinc deſtituta regulis, inde obruta rebus ſubminiſtrabit? Quare dilecte Euſebi, ſi diſpendia intellectûs, damna voluntatis primævâ protoparentum labe inducta in rem litterariam, in commoda tua convertere cupis, ſtudia tua, & induſtriam tuam confer, ut arte laborantem memoriam ſuſtentes. A. c. 2. p. 1. B. c. 4. p. 1.

CAPUT II.

Munia, quæ tractamus, ut ritè obeantur, ſibi vindicant Artem Memoriæ.

12. *Eſt neceſſaria ad munera ritè*

Eubulus. Fertilis terra ſumus Euſebi, & paradiſô pro demeritis excluſi, Numinis beneficio aliquid paradiſi retinemus. Creſcere cupimus omnes; eminere, excellere

ſteri-

ſterilitatem non minus animi, quàm agri averſamur; quin illam eò plus, quò magis homines ſumus, & rationis ductum ſequimur, execrari ſolemus. In hoc conſpirant omnium hominum vota, ut ſint homines, hoc eſt, prudentes, qui ſe ratione, ſua conſilio, cuncta prudentiâ regant. Sed quàm ſumus ſimiles conſpiratione in unum ſcopum, tam ſumus abſimiles uſu mediorum, quæ arripimus. Mirum eſt, quantâ ſtultitiâ quæratur ſapientia. Ut in lucem præclaræ doctrinæ emergamus, faſtu fædam illam ex orco umbram, & mortis tenebras peccatum evocamus; ut ſapientes audiamus; ſurdas virtuti aures damus. Quid inſipientius? Unde ſculpe, & ſcribe; imprime; & apprime; inculca, & exaggera animo, & ſenſibus tuis mi Euſebi, quod tibi plurimùm, ſed paucis dico: *Talis es, qualem te cultura fecerit.* Coli voles (ni prorſus damnata terra ſis) quod omnes volunt; ut autem debitam culturam admittas, cum paucis tibi volendum eſt. Ager tibi fertiliſſimus æmulatione exprimendus eſt, qui non alios, quàm qui inſeruntur fructus ferre conſueſcit: procul ab inertia ſterilis terræ abeundum, quæ ſuf-

ſuffocato credito ſemine in varia lolia ſylveſcit. Deus. O. M. qui nomen, & munus agricolæ bono noſtro non dedignatur, animis noſtris fæcunditatem indidit, cuivis ſua munera, ceu ſemina inſevit. Hinc ille ſolus, aut certè potior præ omnibus fructũ fert, qui concredita officia quotidianis actuum incrementis ad maturitatem deducit, diligenti exercitio metit, & manipulos bonorum operum in horrea divinæ gloriæ invehit. Sed hoc opus, hic labor eſt vix ſuperandus ſine memoriæ cultura.

13. *Obeunda*

Munera, quæ Deus illi hominum ſtatui, quem tu profiteris, imponit, ferme ad tria capita, ſtudioſi nempe Religioſi, & œconomi, revocari poſſunt.

Primum intellectui capiendum, voluntati alterum, & potentiis externis tertium: illi quidem diſcendô, huic vivendô, & iſti laborandô. Ut proficuè diſcamus, ea ſcientia inveſtiganda eſt, quæ & ſtatum noſtrum deceat, & exornet. Ut probè vivamus, eæ virtutes quærendæ, quas Deus præcipit, & nos vovimus. Ut demum utiliter loboremus, ij labores admittendi, quos obedientia, & ratio ſuadet: Quin ut compendiô loquamur.

Lit-

Litteris, virtutibus, & laboribus vacandum eſt, non ut fert luxuries ingenij, impetus naturæ, aut ſenſuum appetitus; ſed uti præſcribunt Deus, recta ratio, & Patrum ſancita. Qui ſuo ducuntur ſenſu, facilè ab æquo abducuntur. Deſiit eſſe homo, qui agendi, cavendique rationes à ſenſibus mutuat. *Euſebius* jam perſpicuè contueor grandem notandi neceſſitatem. Hæc tanta munera, ſi ſolam materiæ vaſtitatem vel primo obtutu dimetiar, ritè obire non auſero, niſi obeundi leges calamô memoriæ ſuggerantur, *Eubulus*. Probè linguam meam ingeniô prævertis. Ita eſt Euſebi: calamus in ſubſidium memoriæ evocandus eſt. Et quidem initium ducamus à litteris.

Hæc plantarum inſtar tractari volunt, continuò coli, continuò rigari. Areſcunt illæ, ſi deſieris rigare, flacceſcunt hæ, ſi ceſſaveris ſtudere. Lectione, ſermone, & uſu conſervari volunt ſcientiæ omnes. Id probat artium ingenuarum infima Gramatica. Da hominem, qui totum Donatum exhauſerit; ſed nec calamô, nec linguâ, nec exercitiô regulis inſiſtat, præfiſcinè dixerim, ſine paucos annos dilabi, & magnus hic Donati candidatus in 14. *ſcientias jam aquiſitas*

ſua arte tam peregrinus erit, acſi eam nunquam coluiſſet. ſi hoc de artium poſtremâ non ſolùm verum, ſed palmare, quid dicamus de Rhetorica, de Philoſophia, de Jurisprudentia, de Theologia, ac cæterarum ſcientiarum choro, in quibus tot loquendi ritus, argumentorum ſedes, naturæ arcana, legum ſancita, ipſius denique Divinitatis, ac rerum ſupra naturæ vires poſitarum ſecreta, indoles, vis, & finis obſervandi, eruendi, penetrandi, retinendi, & excolendi ſunt? An ſemper, ſi quæ didicimus, inſtaurare ſtudio volumus, adire fontes, & vaſta volumina poterimus! abſit id conſilium tempori, litteris, ingenio ipſi inimiciſſimum! Nam quis tam prolixum ſibi otium ſpondeat, ſine detrimento munerum aliorum, quibus docti ferme ſemper diſtinentur, quo vel ſolã Theologiã poſſet toties revolvere, quoties memoria incipit oblivione tenebreſcere? Etſi tanta cuiquam foret temporis opulentia, averſarentur ſcientiæ ipſa tam arduum ſui uſum. Artes liberales ſunt, ſuíque uſu animos è ſuo genio fingunt liberales, non ad tranſtra damnant, laborioſâ quiete aquiri, & conſervari volunt, non ferreis vinculis

aſtringi

aſtringi. Quid quòd ſiquis hac arte ſcientias tractaret, an non diſcendo dediſceret? & ipſâ culturâ ingenium deſtrueret? Bonus cibus eſt, at nimio ſtomachus non levatur, ſed gravatur. Bonæ litteræ, at nimiis ingenium non illuſtratur, ſed tenebratur. Qui nimium ſapit, deſipit, ac ipſa ſapientia quæri vult ſapientiâ prudenti illa, oculata, moderata, verſatili in omnem fortunam. Unde longè ſalubriori conſilio aguntur ij, qui calamum, ſumunt, ſcientiarum vaſtitatem in anacephaleoſin cogunt, ac memoriam arte juvant. Hi namque verè ſcientiæ lac bibunt, ingenium impinquant, Muſis utuntur pacificis, cùm interim aliis, qui artem notandi malâ notâ proſcribunt, perpetuò cum oblivione litigandum ſit. Muſas haud ſecus ac Xantippas habent. Econtra ingredere mecum muſæum viri, qui calamô ſtudiis arte ſociato ingenium colit; en ut ſummâ omnia fruuntur pace! ſi dicendum pro concione, ingreditur ſylvam rerum ampliſſimam, quam ſibi legendo paravit, ſcribendo conſevit, & vivendo excoluit. Proponantur in medium ardua ſacri, profanive fori litigia: litem componet ille, ſi ad cenſuram voca-

iſi uſurpandas

verit arbitrium calami. Arcana de rebus altiſſimis afferant ſacramenta Theologi ? aperiet ille , ſi recluſerit excerptorum theſaurum. *Euſebius.* At quis omnia , quæ ſermone tractari, in litem vocari, aut uſu afferri ſolent , calamô excipiat ? ut excepta quærenti depromere poſſet ? *Eubulus* poteris excipere , excepta depromere, ſi ritè excerpere didiceris. Et demus defore nonnunquam copiam,qua tibi, quærentive ex *Notatis* deprompta ſatisfacias ; id non tuis damnis,ſed lucris accenſendum erit. *Euſebius.*
16. Quâ id ratione ? *Eubulus*: inculcatâ toties à ſcientiarum Magiſtris. Revolve quantis urgeant, inſtent , & permoveant momentis Bernardi , Dacryani , aliique omnium ſcholarum præſides, ut iis rebus ſtudium , ingenium, & conatus noſtros litterarios impendamus , quæ decent ſtatum , præſentem fortunam, & hoc , quod obeundum, munus. Audi mellitiDoctoris ſenſa , *Legendum* inquit (a) *eſt, quod propoſito conveniat, quod intentioni proficiat* Pari animo, ſed longè prolixiori fervore eloquentiam ſuam exſerit Cicero abbatum Dacryanus. *Noli eos*: ait, *imitari, qui nullum legen-*

di ordinem ſervant, ſed, quod fortè occurrerit, quódque caſu repererint, legere gaudent: quibus nihil ſapit, *niſi quod novum eſt; & inauditum. Conſueta enim, & vetera omnia, quantumlibet utilia faſtidiunt.* Magna hæc ſunt, ſed majora ſubiicit, ut peſtem hanc prorſus ex diſcentium adytis proſcribat: *periculoſè laborat, qui hoc morbo vitiatus eſt.* Abſint ergo muſæo tuo ij libri, quos libido diſcendi intulerit; ij ſolùm oculis, manibus, & ingenio uſurpentur, quorum uſum tua, & tecum rem litterariam ſeu privata, ſeu publica exercitatione coṁunicantium utilitas, ratio, atque officium perſuaſerit, næ ſcientias in ſcholis hauſtas non ſolùm conſervabis, ſed ipſa uſûs probitate plurimùm adaugebis. Hæc quisquis in mores redegerit, facilè ex ea, de qua diximus paupertate, materiæ copiam parare poterit, ampliſſimam. Aderunt enim libri, ex queis illam depromas: aderit otium, aderit animus. veniat jam ille, cui nuper ad quæſita reſpondere non poteras, & profectò non ſolùm vota æquabis reſponſis, ſed magnam quoque admirationem, & induſtrij calami amorem conciliabis. At verò ſine hac excer-

pendi religione non tam utilitatis, quàm curioſitatis ſtudiô ducimur ad legendum, libinem novitatum quodam doctæ diligentiæ privilegiô honoramus. Si namque veri amore ageremur, amor nobis quandam neceſſitatem imponeret de remedio circumſpiciendi; nec tam cara veritatis gemma denuò è memoria, & manibus elabetetur. Habet enim hoc cujusque boni cognata indoles, ut non minori ſtudio conſervari, quám quæri velit. Germani litterarũ parentes muſas ceu geminas filias colunt; alunt exercitiô, ornant calamô, fovent ingeniô; vitrici econtra velut peregrinas habent, ceu parùm honeſto locô natas. Nunc Poëſis hoſpitiô excipitur, ſed quamdiu dulcè canit; nunc admittitur Rhetorica, ſed quamdiu placent verborum phaleræ; nunc Philoſophia ſuſcipitur, ſed quamdiu delectant myſteria naturæ. Nec miréris tam malè haberi ancillas, cùm ipſa ſcientiarum Regina Theologia apud nonnullos nihilô melius tractetur. Quot florente juventâ & diſcendi ardore grandia ſcientiis omnibus moliuntur palatia! ingenium omne ad fabricam tantam confertur, ſed utinam pauci forent, qui ſe tœdiô

&

& ætate ad tam anguſtam caſam abduci ſinant, ut ſi Muſæ pauperrimæ tecta ultrò ſubire dignarentur, ſaltem, cum fantur, intelligerentur. *Euſebius.* Unde hæc tanta diſpendia! *Eubulus.* ſic latrocinari licet in ſcientias omnes oblivioni, niſi calamô ceu gladiô conficiatur.

Si ergo tam truculenter, ni calamô arceatur, in ſcientias jam aquiſitas graſſari oblivo poteſt, quid poterit inſcitia, in aquirendas? Nolim tibi hæc damna per ordinem afferre: ſingula ſunt experientiâ, quàm nomine notiora. Iis ut primam noſtram pueritiam moderatores noſtri liberarent, à rudimentis juſſerunt calamô exprimere, quæ didicimus. 17. *aquirendas*

Correcta, Notata, Excerpta, quàm nota ſunt in diſcentium uſu nomina! Comuni fermè parœmiâ dicunt magiſtri, & credunt diſcipuli non bene memoriæ imprimi; quod calamô non exprimeretur. Ineſt nempe calamo vis quædam magnetica, ut hæc ferrum, ita ille memoriam complectitur. Eſtque id non ſolùm in humanoribus litteris verum, ſed & veriſſimum in ſeverioribus. Ut enim hæ ſunt aditu difficiliores: ita indigent calamô for-

tiori, quô janua aperiatut. Hæc neceſſitas legem dixit, quam amplectuntur omnes ſcholæ, omnia Lycæa, omnes Academiæ, ut è cathedra prius calamo ſuggerantur, quæ diſquiſitioni intellectûs forent apponenda,

18. *perfectionem ſpiritualem.*

Et verò forſitan ingeniô calamum ſupplere poteris, ut ſis doctus. At poteris etiam ſine calamo, ut ſis bonus? Profectò aliter chriſtianæ virtutis, & ſanctimoniæ magiſtri cenſuerunt. Magnus Auguſtinus agendi, cavendíque rationes magna induſtriâ ſingulari libro ſibi præſcripſit, idque ſpeculum dixit, ad cujus fidem totum Auguſtinum, hoc eſt, ſe ipſum quotidie arbitraretur. Nec ſolùm Auguſtini ſpeculum, in quo hanc veritatem intueamur, habemus. Quotquot fere viros magnos tulerunt ſæcula, ſui imaginem calamô expreſſam reliquerunt. Inde tot libelli vitam divinam undique ſpirantes nati ſunt, quibus unicè bonum privatum quærebatur, & placuiſſe Deo calamum à publici plauſûs labe tam immunem, & ſolis propriæ vitæ, morumque regulis depingendis aſſumptum exempla mille loquuntur. Nec immeritò virtutis chriſtianæ ſtudioſi tantùm ſemper calamo

tri-

tribuerunt. ſciebant illi animum ve-
ut agrum colendum, ſemper eradi-
candum, ſedulò implantandum, ſtu-
dioſè irrigandum eſſe; eradicanda vi-
ia, implantandas virtutes; ut verò
lla exareſcant, hæ excreſcant rorem
cœleſtem magnis, & multis precibus
am ore, quàm mente fuſius petendum
eſſe. Quis verò hæc faciet, niſi facien-
da notet? quis notabit, niſi notanda
æſtimet? quis æſtimabit, niſi æſtiman-
da retineat? quis retinebit niſi arte, ni- 19.
ſi induſtriâ, niſi calamô utatur? Pau-
ciſſimas Quiliſindas numeramus, quæ
vaſtiſſimum SS. Bibliorum mare po-
tiori parte ad minimam uſque infimæ
voculæ religionem è memoria redde-
re, & quaſi (b) guttatim affundere po-
tuerunt; ferme omnes, ſi animi de-
miſſionem cum domeſtica, paupertate
metiri voluerimus, fateri cogimur,
calamum in opem vocandum eſſe, ut,
quæ magnis laboribus memoriæ inge-
ſſimus, vitiorum fœditatem, & virtutũ
pulchritudinem ad conſtantem pro-
fectũ retineamus. Ea res permovit Ma-
ores ordinis noſtri, ut ſtudioſſima vigi-
lantiâ religionis Tyrones cõpellendos
ſanciverint, ut lumina, dogmata ac do-
cumenta ex meditatione hauſta,

chartæ ad id paratæ diligenti ſtudiô
annotarent. Ac ferme (experientiâ
magiſtrâ didicimus) vix aliá reliquæ æ-
tatis formã concipere licet, quàm qua-
lis in primo tyrocinio induſtria excer-
pendi depicta fuit. Jam tum ex eorum
chartis legere licet rerum divinarum
æſtimationẽ, veri honeſtique amorem;
ac ut paucis complectar ſingula; neu-
tiquam dubitamus, ea omnia in mo-
res transfuſum iri? quæ illi in ſua Ex-
cerpta derivaverant. ſi res ita habet
in ſanctioris vitæ veſtibulo, ubi tan-
ta à magiſtro viva voce inculcantur
documenta, & momenta, & ingerun-
tur exempla; ubi proſcriptis omnibus,
quæ animum innubilare poſſunt, ſoli
menti vacatur, & virtuti vivitur; quid
dicemus de homine, qui aut mune-
ris, quod obit; aut ætatis, quam degit;
aut genij, quo pollet, neceſſitate in
varias partes non tam diſtrahitur,
20. quàm dilaceratur? An non, niſi agen-
da notet paulatim munus obibit ſine
virtutis ductu, ſolo naturæ impulſu? an
non, dum juvenis eſt, in juvenũ levita-
tes: dum vir, in virorum incuriam; dum
ſenex, in ſenum cacogíam agetur, ni-
ſi robur, ac nervum calamô paratum
habeat, quo poſſit à ſe cujusvis ætatis
vitia

itia propulſare? Longe major nobis
netus eſt ab indole, quàm ætate. Hæc
ſemper bona, ſi illa non eſt mala. At ut
mala non ſit, exuenda natura eſt ſuâ
râ, ut manſueſcat: ſuo odio, ut diligat,
ſuo metu, ut confidat, ampliſſima de-
mū totius animi ſenſuumque omnium
familia novis legibus eſt inſtituenda.
Et hæc omnia, ſi perfeceris, nondū ta-
mē confeciſti negotiū; aſſuefaciendus
eſt præterea animus, ut faciliter, liben-
ter, & gaudenter internis ignibus ſuc-
cenſus, affectu allectus, & rerum ſa-
crarum amore inclinatus in ardua quo-
que virtutis opera proſiliat. Non e-
nim ſumus Tyranni, qui flagellô, ſed
Reges animorum, qui æquitate ad a-
gendum ducuntur. Sed mi Euſebi,
quâ mihi ratione perſuadeam, eum
tanto, quo par eſt, uſu, affectu, ac re-
verentia vitæ ſanctioris momenta pro-
ſecuturum, qui ſacra ceu mundi rumo-
res; novellasque legit? nil notat, excer-
pit nihil? Quisquilias vidiſſe ſat eſt,
gemmas recondimus. Minima do-
ctrinæ ſacræ portio ſui pretiô vincit
omne auri pretium, hoc tamen amor
recondere docet; quisquis igitur illam
amat, diſcet recondere, ne rapacitati
oblivionis pateat, ſed ad omnes cœ-
leſtis

eſtis œconomiæ uſus, & gratiæ divitias augendas ſemper ſit ad manus.

21. *Labores ritè obeundis.* *Eubulus.* affatim intueor calamô, & induſtriâ opus eſſe, quâ piè lecta, ſanctè audita, utiliter excogitata fidâ memoriâ, ut conſtanti voluntate in virtutis exercitia feramur, recondantur. *Euſebius.* Sed longè major mi Euſebi nobis incumbit neceſſitas ex reliquo, quas externas dicunt, potentiarum, ſenſuumque degeneri cœtu. Ipſa ſuâ naturâ animum diſſipant, & voluntatem enervant. Quis autem neſcit animô diſſipatô, & voluntate enervatâ utriuſque bona in denſam paulatim oblivionis caliginem abripi? Utinam non tot exemplis probatum haberemus, eos ut maximè laborare animo, qui externis diſtenti plurimùm laborant. Quot negotiis, tot rapacibus prædonibus per multos annos parta mentis opulentia eſt expoſita; & ſæpe quò quisque eſt animi bonis ditior, eò creditur externis aptior. Sicque fit, ut magni magnis in recula mundi viliſſima ſæpe proſtituantur ruinis. Quis verò adeò propitiam etiam in religioſo ſtatu vitam vivit, ut ſibi ſoli, & ſacris Muſis vacare queat, ac externorum turbines ſubire non cogatur? Quid igitur

tur faciet in mediam tempeſtatem abreptus animus? an ſacræ nautices tunc primùm documenta capiet? non ſinent temporis anguſtiæ, diſcendorũ vaſtitas, & agitatæ mentis procellæ. An archiproreta dimiſſô clavô remiges in conſilium adducet? non audebit, ne cum animi ſerenitate perdatur & fama, auctoritas, & exiſtimatio. An à ſuperis malaciam ſupplici voce flagitabit? Euri calamitatum ab iis adiurati, qui futuræ tempeſtatis incurii omnia in ventos ſpargunt, raró ponunt. Longè ſapientiùs agunt, qui, cùm adhuc oram legunt, & antequam in altum humanorum negotiorum pelagus paſſis velis provehantur, in omnem fortunam induſtriô calamô ſeſe præpararunt. O quanta quiete inter decumanos curarum fluctus potientur! Inſurgant timoris, mœrorísve procellæ: artem, qua diſpellant, calamô paratam habent. Blandiantur ſirenes periturarum voluptatum: artem norunt, qua fabulam Ulyſſis hiſtoriam faciant comtemptu. Magnam denique ſcientiarum claſſem potioris vitæ ſtudiis inſtructam involvere occipiat oblivionis caligine ingruens ſenectus: artem ſciunt, quâ ſedulò iuventutis calamô

lamô damna ſenii propulſabunt. Ali
cùm vaſta volumina, ut loborant
ſcientias reduce ſtudio inſtaurarent
cùm deſit otium, deficit & animu
ſicque quò magìs creſcunt ætate,
plus decreſcunt mente. Et forſa
jactura ſcientiarum ferenda foret, n
unà ſecum frequenter etiam diſpend
virtutum traheret. Obſtupeſce mi
miſerrimam hominum ſortem; cù
jam jam poſt diuturnam in pace vita
congrediendum eſt cum tota ætern
tate, incipiunt laborare & animi r
bore, quo mortem fortiter excipian
& demiſſione, quâ modeſtè timean
Modicæ reſtantium menſium rel
quiæ nullo in pretio habentur. Mu
dus jam jam eripiendus, amatur; pl
cet, cùm jacet. Placet autem ta
vanitate ſui, quàm inanitate amantis
hæc enim cùm legendo non ſanetu
illa vulnerat, ſicque dupplici morb
properatur ad mortem. Nec appon
mihi Euſebi hæc extra ſemitam dic
hujus calamitatis ſeriem è digitis a
metior. Qui non excerpit, non æſt
mat libros; qui non æſtimat, non le
git; qui non legit, multa ignorat. A
verò inter hæc multa non ſint fre
quenter animæ multùm nociva, n
ſtrûn

noſtrûm non eſt definire, ſed cavere. Vis igitur munere tuo ritè, & ordine defungi? calamum cape, quæ legis, annota; & næ, cùm diſcendum, intellectui; cùm vivendum voluntati; cùm agendum reliquo potentiarum famulitio nõ ſolùm utiliter præeſſe, ſed & ingenti profectu prodeſſe poteris. Hâc ratione te vindicabis ex tetro carcere ignorantiæ, & vinculis vitiorum, in libertatem animi. Tua erit doctrina, quam in ſcholis hauſiſti; tua virtus, quam imbibiſti, tua rerum experientia, quam comparaſti ſtudio, exercitio, uſu, cùm interim illam aliis calamo non defenſam oblivio, iſtam incuria, hanc otium miſerè depopulatur. A. Jo. Mabillon tr. de ſtud. monaſt. p. 2. c. 2. B. Menol. Bened. 30. Jan.

CAPUT III.

Artem Memoriæ Magnates Eccleſiæ ſemper magni fecerunt, & ſuo exemplo docuerunt.

22. *Docetur exemplis.*

MIthridates, quo neminem Regum aut graviùs, aut diutiùs exercuerunt Romana arma, duabus ſupra viginti nationibus jus dicit, & quod

quod majori admiratione dignum, quamlibet ſua lingua pro concione ſine interprete affatur. Seneca illuc rei litterariæ prodigium tantâ excellit memoriâ, ut non modò ad omnem ſe ſe uſum ſumma fide exporrigeret, ſed etiam ad miraculum uſque extolleret. Duo namque millia nominum qua ſerie ex præeuntis ore excipiebat, integerrimè reddere poterat. Optanda planè foret ſimilis ingenii fortuna chriſtianæ litteraturæ tyroni, aut ſaltem talis, qualis eſt telluris ſemen commiſſum nonnunquam per integra luſtra tam per hyemis algores, quàm æſtatis ardores ſummâ conſtantiâ retinentis. At hanc capitis beatitatem ferè cunctis natura negat, pauciſſimis partem concedit. Hinc prope omnibus, ſi eam, quam decet, ad diſcendum animi demiſſionem afferre volumus, Simonides quærendus eſt, qui artem memoriæ, cujus ipſe parens (a) celebratur, dictaret. Nam ad plenam eruditionem vix ullus patet acceſſus, niſi viam ſibi calamô aperuerit doctrinæ candidatus.

Hujus rei tot teſtes habemus, quot librorum prope conditores, qui ſibi multis annorum periodis ſcribenda-

rum

rum rerum ſylvam ſucceſſivo calamô parare non ſolùm non erubuerunt, ſed & neceſſarium ſummè honeſtumque judicarunt. Et hoc non ingenij duntaxat, & capitis paupertati ſuggerendum eſt; etiam viris, quos ampliores naturæ liberaliſſimæ dotes è vulgo ſuſtollunt, & Muſæ ipſæ à cunis educâſſe videntur, hic labor ſubeundus eſt. Ageſis, exempla promamus, quantum hi, nequid memoriæ, quod profore videretur meminiſſe, ſubduceretur, calamo dederint temporis, & conatûs.

Sanè Julij Cæſaris gladius nunquàm ita potuit ab hoſtibus occupari, quin otium imperaret calamus, quo geſta annotaret, & gerenda transmitteret poſteritati. *23. Julij Cæſaris*

Jurisprudentia maximam gloriæ ſuæ partem debet vigili ſub ſomni, noctisque tenebras ſtudio Theodoſij; qui cùm ſagi, togæque diurnis, & diuturnis negotiis diſtentus per diem calamum tabulâ abducere cogeretur, tantum noctis dedit annotandis, excerpendisque Jurisprudentiæ regulis, ut Pandectæ, & Codex, (quem ab authore Theodoſianum dicunt) ex his nocturnis ſtudiis in lucem emerſerint. *Theodoſij Imp.*

C Adeo

Adeo nempe non minori gloriâ calamus, quàm gladius ſtringitur.

24. *Plinij Senioris.* Plinius Senior non ſolùm ſui, ſed omnium Sæculorum doctor tam rigidas ſibi dixit excerpendi leges, ut nùnquam legeret, quin excerperet : imò nec legentem ſuſtineret audire, niſi lecta poſſet in tabulas referre. Ampliſſimum unius hominis exemplum, & exemplar ! pugillares ipſi menſæ infert: *ſuper hanc* (b) *liber legebatur*, adnotabatur, & quidem curſim, Quaslibet epulas is cenſebat inſipidas, niſi lectionis ſaccaro condirentur, & lectionem ipſam exſuccam, niſi atramenti ambroſiâ imbueretur, & in memoriæ ſtomachum calamô traijceretur! Tanta Pliniis erat eſuries notandi etiam inter lautitias in pauperrima gentilitate natis, quos (licet mille ſcientiarum miſſus intuleris) nunquam tamen ſaturare poterit omnis naturæ opulentia, ſciendique apparatus. Semper enim, quidquid compararint, veræ fidei ſcientiâ deſtituti inter periturarum rerum quisquilias relinquere cogentur. Quanta igitur orexis ſcribendi capiat hominem, cui non ſolùm poteſtas, ſed & præceptum datum eſt ut poſſit, & debeat naturalium ſcientiarum

entiarum ferculis nutrire robur illud virile, quô non urbes, ſed cœlum ipſum (c) expugnet? & æviternis delitiis potiatur? unde jam non miror ego toties inculcatas à ſacris Doctoribus ſcribendi leges, ſed potiùs obſtupeſco calami otioſi torporem. Verùm ne araneus eſſe videar, qui telam ex ſe texit, appono externam, & domeſticam fidem tam à veterum, quàm noſtra ætate repetitam.

25. *Ven. Petri Abb. Clun.*

Ven. Petrus Mauritius Cluniacenſium doctiſſimus ſimul, atque ſanctiſſimus Abbas quantùm feriantium calamorum otia deflet! *Cùm antiquus:* non tam atramento, quàm lachrymis ſcribit (d) *mos fuerit, non ſolùm apud primos Chriſtianæ fidei patres, ſed etiam apud gentiles, ut quæque digna memoriâ litteris traderent, iſti nec chriſtianorum, nec paganorum ſtudia imitanda, univerſa ſuis temporibus accidentia, quæ ſuccedentibus non parùm poſſent eſſe utilia, languentes animo perire permittunt!*

Joannis Gerſen A vercellen.

Joannes Gerſen è libello ſuo maximus auctor non inter poſtremos audiendus eſt. Cùm hominem virtutis ſtudioſum paucis verbis inſtituit, ac velut anacephaleoſi ſanctioris vitæ

donat, ita (e) ſatur: *ſcribe, lege, canta, geme, tace ora, ſuſtine viriliter contraria.* Moram, & amorem meretur ſcribendi præceptum omnibus præmiſſum, Haud enim ignorat ſanctiſſimus aſcetes, eum non benè legere, cantare, gemere, tacere, orare, & ſuſtinere, niſi, quæ legerit, annotet; quommodo cantet, ſcribat; cur gemat, comparet; quando taceat, delineet; quæ oret, diſquirat; ac demum quid ſuſtineat, excerpat. Sed noſtra permamus, quæ in hujus illuſtriſſimi viri ſenſa poſſemus afferre, ut alter ſua promat, ac iiſdem prope verbis confirmet B. Theodericus de Mathonvilla. Uticæ Præſul flagrantiſſimus. vix è ſua cella, & Geneticenſi Cœnobio extractus, ac Uticenſi ſcientiarum, & virtutum Lyceo, quod per plura ſæcula bellorum injuriis ſuppreſſum ſua inter rudera gemebat, impoſitus, nihil antiquius habuit, quàm ut ad ſanctimoniæ, & D. Benedicti Regulam minima quæque in ſe, ſuiſque caſtigaret. Nec abfuit ſtudio maximo par fructus. Uticum jam ceu maximorum virorum domicilium celebratur; nec aliis gradibus ad tantum gloriæ

26. B. Theoderici Abb. Uticen.

riæ verticem enixum eſt, ac quos calamo facimus. Unde Theodericus diſcipulis ſuis perpetuò ingerebat : *orate*, *legite*, *pſallite*, *ſcribite*. Nec verba dediſſe ſat erat ardentiſſimo Præſuli : exemplis animat dicta; primus calamum capit, nulláque re ſe ita capi ſinit, quæ manum diu à tabula poſſet (f) avocare.

Verùm ſi ſurgentia è ruinis monaſteria nondum tibi animos ad ſcribendum erigunt, profectò inflamabunt ven. Bedæ (quanta nomina in una voce audis!) (g) ſcintillæ. Hæ licet ſint meræ ex S. Scriptura, & SS. Patribus excerptæ ac in ſuas claſſes diſpoſitæ ſententiæ, Scintillas tamen vocari voluit ab igniculis, quos ſibi ab eorum uſu ceu affrictu, etiam ex ſaxeis, & duris cordibus meritò pollicebatur. Tanti excerpta ſunt tanto viro, ut ſe *Dictatorem* : *Notarium*, *&* *Librarium* appellare(h) non erubeſceret. In omnibus præterea lucubrationibus ſuis tam preſsè SS. Patrum veſtigiis inhæret, ut non tam nova condere, quàm ab illis condita excerpere fateretur. Cùm ad Accam Epiſcopum ſcribit, de ſuis libris non aliter, ac de collectaneis loquitur: vo- 27. *Ven. Bedæ.*

cat eos *nonnulla proprii ſudoris, quæ ſibi ab Auctore lucis fuiſſent aperta* (i) *indicia. Euſebius* admiranda viri demiſſio! & magnus excerpendi ſtimulus in uno unius viri exemplo! non enim illi paupertas ingenij (quæ potior artium inventrix eſt) calamum manibus intruſit, ut multis aliis, ſed tabulam à maximis emolumentis oblatam ipſe cœpit, non obtruſam admiſit. Notandum igitur, aut labes ignorantiæ in multis ſubeunda, ſive amplô liberalis natura nos ingeniô coluerit, ſive illiberalior mediocri donârit.

28. *Joañis Mabillonii in ſtudiô SS. Patrum.*

Eubulus. Verùm enim verò nimis longi ſimus, ſi per cuncta unius noſtræ Benedictinæ antiquitatis monumenta ire vellemus: viciniora proin, & ipſius noſtri ſæculi meditullium adeamus. Joannes Mabillonius in eximio illo, & omnium manibus digniſſimo Opere de ſtudiis Monaſticis ferme per ſingula capita laudat, ſuadet, inculcat induſtriam excerpendi. Cùm more ſuo p. 2. c. 3. ſtudium legendi SS. Patres probè commendaſſet, hæc ceu fortiſſimum epilogum ſubiicit verba: *laborandum eſt:* inquit: *omnibus, urgendumq́ viribus,*

ribus, ut queis tenemur, obligationes ex Patribus exactè eruamus, & erutas addiſcamus; quandoquidem eosdem Deus noſtros voluit eſſe Magiſtros. His majora, quæ nos compendio damus, (l)præmiſit in rem noſtram. Quid opus eſt, ait: argumentis ? in manibus verſamus compendia ex SS. PP. combinata, ceu viva ſeduli calami documenta. Eugippius Monaſterij cujusdam in Campania Neapolitana abbas ex libris S. Auguſtini tam feliciter excerpſit, ut ad pertexenda cœpta armatis ſuorum aſcetarum, & Martini abbatis precibus traheretur. Paſſus eſt autem ſe (velut ipſe fatetur) trahi, ut ſuo hoc præludio plures alios litteraturâ præſtantes viros illiceret ad perfectiùs aliquid in hoc ſcribendi genere moliendum. Magnum eſt hoc Eugippij exemplum, eo tamen nondum ſibi confeciſſe negotium cenſuit Mabillonius. Aureis monitis, queis SS. Patres legendos docuit, nono loco apponit: *utiliter laboratum iri, ſi conatus impendantur, ut ex quolibet Patrum tractatu fabricentur analyſes ad normam aut methodum à Photio traditam in ſua Bibliotheca, aut à Scultero reſpectu Patrum quatuor primorum ſæculo-*

 culo-

culorum. Pari ſenſu tractandam arbitratur Hiſtoriam. Ipſum audiamus, cùm ſe (m) quid ſit vacare Hiſtoriæ, explicat *ut paucis abſolvam* : inquit : *ſtudere Hiſtoriæ idem eſt, ac addiſcere, aut cognoſcere ſemetipſum in aliis ; & annotare in ſanctis, ac virtute præditis perſonis, quod quis æmuletur, & fiat melior ; in vitioſis autem, ſceleratis, ac nefariis quod evitet, & non evadat nocentior.* Quid quòd, quò utili labore in Hiſtoria verſeris, velut præcipuam quandam (n) gnomen ponit, ut unum integrũ ſæculum legas, lecta ſedulò *annotes*, nec prius ad alterum legendum manum apponas, quàm annotata prioris ſæculi ſtudiosè relegeris. Eadem, quin majora emolumenta agnoſcit in *annotandis* jurisprudentiæ ſancitis, idque demonſtrat ex tanto ſynopſium, quas etiamnum manu terimus, apparatu ; ex Regino-ne Abb. Prumienſi, Abbone Floriacenſi, Gratiano Bononienſi, innumeriſque, aliis, qui non ſolùm ſibi calamô ad ſacræ Themidis adyta januam aperuerunt, ſed & aliis viam regiam commonſtrârunt. De Theologia quid dicamus è ſenſu Magni Mabillonii in rem noſtram ? ſanè magna

29. *Hiſtoria*

30. *Jurisprudentia*

31. *Theologia.*

&

& multa : ſed non adæquabimus viri ſenſa, niſi ejus verba mutuemus. *Si cui :* ait , *placuerit, quæ legit , ac notavit, in ordinem redigere poteſt jam à S. Thoma, vel Magiſtro ſententiarum definitam.* (o) Hujus dein Summam velut prototypon (p) proponit, ad cujus formam rerum Theologicarum imagines, & excerpta ſuadet effigiari. Ne verò quemquam calami labores fatigent animo, & imitatione reſpiciendos jubet Joannes Damaſcenos, Anſelmos, alioſque ſacræ doctrinæ Magiſtros, qui viam in tanto negotio non ſolùm præivére, ſed etiam ablatis arduis ambagibus pararunt. Demum ut rem omnem complectatur, integrum c. 14. p. 2. *Notatis*, ut vocat, tribuit ; totuſque in eo eſt, ut probet,quamlibet ſcientiam iis juvandam, comparandam & conſervandam eſſe. *Omninò videtur*; inquit : *eſſe neceſſe couficere ſynopſes in easdem redigendo res notatu dignas, quæ occurrere ſolent in lectione ; ne poſthac rurſus elabantur, lecta nos deſerant , & memoriæ vel infidelitate , vel lubricitate penitùs deperdantur.* Magna hæc ſunt, & altè memoriæ imprimenda. Sed ut æquâ lance ponderes pretium

32. *Scientiis aliis.*

dictorum, æſtimationem dicentis me-
cum trutina. Is eſt Joannes Mabil-
lonius, qui undecim ad minimum,
quod ſciam, grandia volumina ſcrip-
ſit, ſi quatuor Analectorum tomos,
Tractatum de ſtudio monaſtico, Li-
turgiam Gallicam, ac Annalium Ord.
S. Bened. quorum nonnulli in lucem
jam prodierunt, tomos non accenſe-
mus. Is eſt Joannes Mabillonius, de
quo Stephanus Baluzius Tutelenſis:
*Joannes Mabillon natione Gallus Ord.
S. Bened. Cong. S. Mauri, Chronologus
longè verſatiſſimus, quo neſcio an ullum
habeamus aut eruditiorem aut mode-
ſtiorem Scriptorem* (q) Is eſt Joannes
Mabillonius, cui Daniel Papebrochius
in Actis SS. variis locis viri eruditiſſi-
mi, doctiſſimi, in antiquitatibus (r)
verſatiſſimi, & expertiſſimi præſertim
in diſcernendis Regum, & Impera-
torum diplomatis, elogia admetitur,
á quo ſe in multis directum, & erro-
re liberatum gratus fatetur. Fran-
ciſcus Bäertius, Conradus Janingus
S. J. præmiſſis aliis eum vocant *præ-
laudatum diligentiſſimum Mabillonem,
& notiſſimæ omnibus fidei.* (s) Illu-
ſtria hæc ſunt, nec tamen virum de-
pinxero, ſi laudum colores mutua-
vero

vero à ſolis litteris : virtus præclara eum fulgorem viro conciliavit, ut radios ſuos in omnem Europam exporrigeret. Ipſemet Ludovicus XIV. Gall. Rex inſignis meritorum arbiter in frequenti procerum coronâ digitô ſubinde monſtrans Mabillonium : *en!* inquit, *Religioſum in regno noſtro humillimum, & doctiſſimum.* (t) Et hic talium, tantarumque laudum vir ſuadet, urget, inculcat (u) excerpendi tum utilitatem, cùm neceſſitatem, docet methodum & artem, eamque ducit per omnes ſcientias, ut ſingulas, cùm diſcimus, diſponeret ad facilem captum; & cùm didicimus, firmaret per omnem ætatem. Quid induſtriùs in rem noſtram aut dici poſſit, aut cogitari? Unde jam vela contraho, & pennam præbeo, ut voles Euſebi: hanc libra, & ad ſcientiæ verticem ſine ambagibus evolabis. A. Cicero l. 2. de orat. B. Plinius Junior illius ex ſorore nepos l. 3. ep. 7. ad Marcum. C. Matt. 11. 12. D. in Prol. ad l. 2. mir. Bibl. Clun. E. l. 3. c. 47. de Imit. Ch. F. Sæc. 6. p. 2. Act. SS. Ord. S. Bened. an. 1058. n. 7. G. to. 7. op. Ven. Bedæ. H. Sæc. 3. p. 1. an. 735. in Elog. Hiſt. §. 3. n. 8.

I. loc.

I. loc. cit. L. Jo. Mab. tr. ſtud. Monaſt. p. 2. c. 3. init. M. ib. c. 8. N. in fin. cit. c. O. ib. c. 4. in fin. P. ib. c. 6. Q. ad Hieron. Ambr. Langenmantl Patrit. Aug. & Canon. an. 1686. Cal. Maij apud Corb. Kamm in Hierarch. Aug. p. 1. c. 6. n. 21. R. loc. cit. S. to. 7. Maij inter Addend. ad vit. S. Marculphi ad 1. Maij. n. 6. T. Corb. Kamm loc. cit. U. paſſim in tr. de ſtud monaſt in cujus veſtibulo ex DD. Sorbonenſibus plura hujus viri elogia leges.

CAPUT IV.

Ars Memoriæ ingentia commoda affert.

33. *Eſt ...rilis* EUbulus. Quantùm interſit in utramque partem, ut quisque ſe noverit, non ignoras Euſebi. Ne plus juſto nos elevemus; itentidem nobis ut pavoni oculi retorquendi ſunt in luteos affectuum noſtrorum pedes: ne verò ſocorditer humi ſerpamus, inſpicienda ſunt liberaliſſimi Numinis in nos beneficia. Hæc uti ſemper ſunt magnitudine dantis maxima; ita uſu accipientis poſſunt fieri magna. Da mediocre in- *voluntati ad*

genium

genium, ſed junctum bonæ voluntati, & dabo tibi virum non mediocriter doctum. Fere ſemper tantùm proſunt litteræ, quantùm prodeſſe volunt litterati. Summa opulentiæ noſtræ opulenta voluntas. Evocatæ ſunt quidem torquendi, urendi, ſecandique artes ex ipſa Erebi officina; attamen non tantum doloris potuerunt truculenti artifices invenire, quantum bonæ voluntatis domini (potius Reges dixerim) perferre. Concremari refrigerium, trucidari reſpiratio, ſubmergi delitiæ habebantur. Ut verò tantum bonæ voluntatis bonum tot myriadibus hominum extinctis nunquam emoreretur, ſed in Eccleſia ex ipſa ſtrage creſceret, quanta non fecit Deus! ſe ægræ in medicinam, laboranti in robur, eſurienti in cibum, ſitienti in potum ſub Euchariſtico præbet velamine. Nec his contenta Numinis munificentia, ſed ſuæ magnitudinis ſocios aſſumpſit propè innumeros, qui ex roſtris, & exedris voluntatem, cùm tepeſcit, accenderent; cùm torpet, excitarent; cùm vacillat, firmarent. Quid quòd ne iſti prodigioſi voluntatis medici ullo tempore ſubducerentur, immortalitate

talitate in ſuis libris donati ſunt, ut
tibi toties adeſſent in omnem fortu-
54 nam, quoties velles legere. Hæc
tanta fecit Deus, ut bonus ſis: quid
igitur non operteat te facere, ut con-
ſtanter bonus eſſe velis? Si me audis,
capiendus calamus eſt, ſcribenda ſunt
quæ animum erigant, cùm jacet; fir-
ment, cùm titubat; propellant, cùm
hæret. Oculos adverte mi Euſebi,
quot quantiſque ſine ullis induciis im-
pugnemur hoſtibus. Integras acies
educit ſuperbia, regit luxus, immittit
furor. Et his tantis copiis humile
animi humani caſtellum impetitu
nunc fraude tectâ, nunc vi apertâ
quid igitur mirum, ſi ab hoſte capia
tur? Econtra verò da Chriſtiani ani
mi heroem ſtudioſo calamo aſſuetum
obvallabit ſe præaltis profundæ humi-
litatis foſſis, cinget ſe mœnibus in-
fractæ fortitudinis, omnium virtutum
apparatu ſe muniet. Irruant jam or
cinæ phalanges, impetat ſuperbia fa
ſtu: retundet multis annis calam
paratis armis. Clam irrepant frau
dulento ſtratagemate mundi delitiæ
larvam detrahet prudentiâ ſpiritua
calamô adornatâ. Invadat effræn
bus deſideriis avaritia: exarmabit ſa

ctioribu

ctioribus votis calamô deſignatis. Magnæ ſunt hoſtium noſtrorum vires, cùm impetere; magnæ fraudes, cùm decipere; magni impetus, cùm expugnare Chriſtianum athletam nituntur. At tela prævisa minus, & calamô evitata nunquam, aut rarò nocent. Magna pars victoriæ eſt, noviſſe, quàm cum fædo, exitioſo, truculento, ſimul tamen imbelli, inſipienti, & enervi hoſte congrediaris. Id nemo meliùs novit, ac illi, qui non ſolùm legunt, ſed & altæ memoriæ quotidiano calamô imprimunt, quidquid armatus in ſalutem noſtram Erebus omnis moliri poteſt. Bella non tam viribus, quàm conſiliis geruntur; devictus eſt hoſtis, cujus conſilia pateſcunt. Quidquid in bello ſacro è re ſalutis fieri poteſt, nunquam meliùs geritur, ac ſi calamô conficiatur. Id mihi non abnues, ſi ritè mecum perpenderis totius belli ſacri & arma, & apparatum. Imprimis, ut vitia, quibuſcum congrediendum, noveris neceſſe eſt; odium concipias adverſus ea implacabile; Superi dein invocandi, ut vires ſubrogent, & præſidium; otium omne ablegandum; occaſio nulla, qua hoſtes impugnes, negli-

negligenda; reſiſtendum in principio, & inimicis nulla danda mora pugnā-di. Taceo innumera alia, quibus in vitia bellum audemus, arma, tum à ſupremo Induperatore Chriſto, cum ejus ducibus Benedictis, Gregoriis; Leandris ſubminiſtrata; & hoc ſolùm addamus, quantum roboris ſibi, terroris hoſti, & ſpei adiiciat victoriæ, qui hæc arma non ſolùm legendo comparavit, orando impetravit; ſed & notandô induit ſolo ſui, armaturæque
35. aſpectu terribilis? Vis, ut ſit, qui nôſcat, & oderit vitia? Numen opem roget? otia tollat? & in omnem Acheronta impugnandi fortunam circumſpiciat? ô quanta, ut velit, momenta! ô quanta, ut poſſit auxilia! ô quanta, ut audeat, capiet ſolatia, ſi nunc adierit Titulum *Vitium*, *Peccatum*, *Dæmon*? ac in illo luſtrarit fæditatem, in iſto damna, in hoc malitiam? ſi nunc adierit Titulum *Gratia*, *Meritum*, *Beatitudo*, ac in illo inſpexerit pretium, in iſto opulentiam, in hoc demum æternitatem? an vitiis cedet, quorum fæditatem; peccatis conſentiet, quorum damna; dæmonem ſequetur, cujus malitiam ſuo calamô expreſſit, labore magno,

ſtudiô

ſtudiô ſedulô? Non ſinet horror. An impugnatus animum ponet? arma abijciet? deſperabit? Dei miſericordia, Superûm parata auxilia, tot adornata media prolabentem erigent. An intellectus mundi favoribus, opibus, voluptatibus ſe transverſum agi patietur? firmabunt & cognitio, & æſtimatio, & gaudium divinæ gratiæ, meritorum, cæleſtium voluptatum, quæ omnia non curſim mentem ſubeunt, aut voluntatem afficiunt, ſed altùm memoriæ calamô impreſſa hærent, ut in omnem uſum depromantur. Accedit his omnibus ſingularis illa Dei. T. O. M. tutela, quæ obvallat illos, qui, ut aditu animi vitia quæque arcere poſſint, ardua nulla detrectant, ſed ſe & fortes, cùm pugna fervet; & fideles, cùm pax arridet, probant, divinique Numinis honorem contra orcinum tyrannum tam in ſago, quàm togâ tuentur. Probant verò (& quis neget?) tuenturque, qui non tantùm legunt, ut belli ſacri ſcientiam adipiſcantur; ſed etiam, ut exhauriant, ſcribunt, notant, excerpunt, nullo labore moti, tœdiô fracti, nullo incommodo abſterriti, ut ardua quæque ſuperent, vitia frangant, ac metum omnem ſubigant,

bigant, qui ſacra caſtra ſecutis ferè ſemper inſidiantur. Ea res ritè perpenſa perſuaſit inſignem quendam Aſceten à doctrina, & virtute notiſſimum, ut affirmare auſerit, totá Germaniam reſtauratũ iri, ſi quo par eſt ſtudio libri legerentur, & lecta notarentur. Nec ſententia hæc ſanè magna plus ſplendoris ac veritatis habet: ſuo nititur pondere, & fulcitur omnium, quotquot hactenus orbem Chriſtianum libris illuſtrarunt, Doctorum calculô. Interroga Gregorios, Bedas, Iſidoros, Anſelmos, quæ vis, quæ ratio, quæ cauſa compulerit, ut calamos tollerent, cùm valetudine, viribusque (a) fracti lecto decumberent; ut vivendi leges dictarent, cùm (b) ultima jam moriendi neceſſitas inſtaret; ut ſtringerent calamos, cùm infeſtis hæreſeon (c) ſignis Eccleſia impeteretur; ut Regum libidine agitati, proſcripti, expulſi pennam ceu machæram in medios libertatis Eccleſiaſticæ hoſtes (d) cùm nullo certo ſubſiſtere loco ſinerentur, vibrarint, nulla profectò alia cauſa hos heroas calamô armavit, quàm ut Eccleſiam, virtutem, ſanam doctrinam impetitam tuerentur, irriſam defenderent, ſubſannatam vendicarent. Si igitur

36. virtutes implantandas

eo-

eo ſpiritûs ardore legerentur libri, quo ſcripti ſunt, annè ullus veterum Imperatorum plures ſub ſuis ſignis numeraſſet milites, quàm Eccleſia numeratura foret heroes, qui tam eminus ſcripto, quàm cominus verbo virtutem tuerentur? At verò velut fruſtra in aciem proditur, niſi priùs miles legatur, ita incaſſùm ferè omnes in virtutis ſtudio laborant, niſi legant. Legendum eſt, ſi vis legi; nec deſultorio ſtudio, niſi ſacræ militiæ jam adlectus exauctorari velis. Tanti intereſt, quò virtuti ritè vaces, ut legas; non minus agitur, quò ritè legas, ut notes. Non aduléris tibi mi Euſebi grandem eorum, quæ legiſti, apparatum. Demus, noveris ingenium, gradus, excellentiam cujusvis virtutis: exhaurias intellectu, quidquid de ſanctiore vita ſciri poteſt, deſerent hæc olim te magno tuo dolore, & forſitan cum illis etiam animus ad virtutem. Non tam, quæ legis, quàm hauſti ex lectis igniculi ſuccendunt animos. Morâ geruntur magna, fungi unâ naſcuntur nocte. Cœleſtis quædam concha eſt lectio ſacra, margaritas, quas concipit à ſole divino, conſervet neceſſe eſt, frequens ſe aperiat recipiendo cœ-

 lico

lico rori quotidianæ exercitationis, perduret medias inter tempeſtates. Unum ex his, ſi demas, abortiet nobilisConcha,& ſpes peribit fæcunditatis. Quid prodeſt multa legere, grandia inquirere, utilia perſequi, & honeſta, ſi eo, quo in animum admittuntur die, excluduntur? Nec horrida terrent, nec læta erigunt, nec magna ſollicitant, ſi cum iiſdem agitur, ceu cum floribus, qui ſolùm, cùm recentes, valent. Alio prorſus ſenſu aguntur ij, qui res ſacras juſtâ lance appendunt: amant, amplectuntur, exercent: amori totum cor, cuſtodiæ totum ingenium, uſui corpus, & animam conſecrant. Nequa verò materies amori ſubducatur oblivione, ſedulò excerpunt, quæ amant. Ut cuſtodia excerptorum ſit integra, ingeniô conſulunt memoriæ non ſibi relictæ, ſed fulcitæ regulis, arte, & documentis.

37. *exercendas* De uſu quid dicamus? meliùs ipſi dixerint. O mi Euſebi quid dicturos exiſtimas? cùm nunc fide ſe erigunt, Charitate inardeſcunt, animi demiſſione ſe abijciunt? cùm nunc ardua aggrediuntur fortitudine, implexa eventilant prudentiâ, blanda ſuperant temperantiâ. cùm nunc agunt cum

Deo pro æternis, cum proximo de æternis, ſecum demum ipſis ex æternis cauſis? Sanè magna magno cum ardore dicant, neceſſe eſt. Uno enim prope obtutu intueri poſſunt, quidquid animum unquam inflammare conſuevit. Oculis ſubijciant (e) ***Fidem***, & videbunt pro fide alios vivos ſepeliri, comburi, diſcerpi; alios in furcas, cruces, mille mortes agi; alios per plateas, ſuper ſentes, & in carceres raptari. Adeant excerpta ***Charitatis***, & videbunt penetrari ad barbaras gentes, extrema terrâ marique ſubiri diſcrimina, mortem ipſam ſummis beneficiis accenſeri. Intueantur aliam quamvis virtutem, & videbunt, quantum in unaquaque lateat pretij, unicuique præbeatur auxilium, unamquamque maneat præmium. Hæc autem omnia, cùm oculis, animoque ſubijciat, quis non inardeſcat, ut media illa omnia arripiat, quibus tanta præſtantia, & cœleſtis opulentia comparatur?

Ex his naſcuntur omnes prærogativæ, quas virtus, & ſanctioris vitæ ſtudia parere conſueſcunt. Commercium opulentiſſimum, & dulciſſima cum ſuperis

38. Commercium cum ſuperis in

ſuperis omnibus conſuetudo initur. Nam ſi notandi ſtudioſus legit, Deus ipſi verba facit; ſi quæ legit, annotat, parat materiem orationi, quâ ipſe Deo loquatur. Nec quæ ipſi Deus dehinc in illa dicit, quod alij ſolent, ſinit ceu verba vento nata oblivione deleri, ſed velut verba vitæ ſedulò chartæ annotat, annotando probat, qua animi religione Dei jubentis imperia, Dei ſuadentis conſilia, Dei terrentis minæ ſint uſurpandæ. Alij audiunt, parent, timent ſolo animi decreto; qui notat, audit, paret, timet etiam calamô. Nec mireris, cùm eum calamô audientem, parentem, timentem dixero. Longè majora dicam. Calamum unico luſtro in ſua commoda vertat, & habebit, non ſolùm auribus regulas, ut ritè audiat; ſed & oculis, ut bene videat; toto corpori, & animæ, ut bene vivat; proximo ſuo, ut bene regat; ſummo Deo, ut bene ſerviat. Scimus equidem loborem continuum, ſtudium conſtans, & ſuperûm ipſam multis precibus excitam opem requiri, ut in virtutis Lyceo proficiamus; ſed etiam non ignoramus tantam eſſe virtutis & dignitatem, & præſtantiam

lectione ſpirituali:

meditatione

ac

ac pulchritudinem, ut, qui eam ſemel intimiùs hauſerit, animos, conatusque omnes ejus ſtudiis lubentiſſimè velit mancipare. Hauriet autem, ſi ritè legerit; ritè leget, ſi lecta conſtanti, ſedulâ, religioſâ, & nullo profanæ laudis, aut excellentiæ atramento infecta curâ excerpſerit. Cur enim negamus virtutibus è ſinu divino demiſſis, quod tribuimus inventis humanis, artibus, quin coloribus, & odoribus? illa & iſta diſcuntur uſu, & diligentiâ; hi quem tangunt, imbuunt; cùm tamen uni virtuti longè major inſit vis ad capiendos animos, quàm toti humanarum ſcientiarum univerſitati? Si enim virtutem ceu ancillæ dominam non comitentur ſcientiæ, inter res viliſſimas in multis abiici merentur. Profectò ſine virtutis ſtudio ſæpè melior eſt equi, quam æquitatis uſus. Et ſi demum velimus avaritiæ humanæ opulentiis, ſcientiis, artibus undequaque ſive veras, ſive falſas prærogativas emendicare, non poterimus tamen ipſis illam grandem, horridam, & turpiſſimã infamiam detrahere, qua laborant cum creptitaculis communi. Et quænam hæc infamia? utinam non uni tibi ad deteſtationem

mi Euſebi, ſed orbi univerſo iis, quibus decet, eam coloribus depingere poſſemus. Hæc eſt illa infamia, quâ omnes ſcientiæ, omnes artes, opulentiæ omnes, niſi eam virtus aufferat, laborant, quòd ſine virtute non proſint ad benè vivendum, nec benè moriendum. Quid vanius? quid inanius? quid vilius? Colligamus jam hæc omnia in faſciculum, & ſingula alto ſenſu diſcutiamus. Res virtute longè inferiores homines volunt, & poſcunt uſu, exercitiô, conſtanti diligentiâ comparare; lôngè igitur certiùs, & faciliùs poterunt, ſi velint eadem media, adipiſci virtutem in tanta Numinis liberalitate, ſi facienda legerint, lecta prius in chartam redegerint, ut in mores deducantur. Nam non via ſolùm ad virtutem, ſed & virtus eſt, cùm legunt, lecta excerpunt, excerpta uſurpant. Conſuetudine notandi probant, ſuam rerum ſacrarum æſtimationem, quâ nihil neceſſarium magis, ut virtus quæratur; ſuam induſtriam, qua nihil potentius, ut virtus exerceatur; ſuam fidem, qua nihil efficacius, ut virtus aquiratur. Ex tanta rerum ſacrarum æſtimatione, cura, & fide, qua allecti, tracti, quin

40. meritoria virtutis

quin & compulſi ſingula ſtudioſè annotant, auream ſibi multarum cœleſtium gratiarum venam calamo aperiunt. Eas haurient à Sanctis, cùm eorum ſibi ſanctimoniam ; ab angelis, cùm eorum ſibi puritatem ; à Deo, Deiparente , Cœlitibus univerſis , cùm eorum ſibi amorem, ſtudia, virtutes omnes imitandas calamô expreſſerint. Requirant igitur ſanctioris vitæ magiſtri ad conſtantem in virtutibus profectum ardens earum deſiderium, fugam cujusvis etiam minimæ noxæ , ſenſuum , omniumque potentiarum obedientiam , profundam animi demiſſionem , infractam inter decumanas ærumnas conſtantiam, aliaque ſive longa, ſive ardua ſtudia, quibus nunc animus erigendus, ut fidat, nunc deprimendus, ne inſoleſcat ; nunc ſuccendendus, ut ardeat ; hæc tamen omnia, ſi, qua par eſt, uſurpes, curâ notandi ſuperabis : timebis quævis delicta, cavebis quosvis nævos ; virtus animum in deſideria excitabit, in opera concitabit , ſui præſtantiam in oculos, aures, os, ac totius corporis habitum, animæque latitudinem diſpenſabit, ut nec vide-

favoris cœleſtis

re, audire, loquíve aliud delectet, quàm quæ ratio virtutis poſtularit.

Quare mi Euſebi, ſi ſtudia ſanctioris vitæ magno cum profectu aggredi cupis; ſi animô maculas tam protoplaſtorum, quàm propriis delictis inductas eluere deſideras; ſi demum virtutibus temet totum excolere niteris, calamus capiendus erit. Eo tibi comparabis robur, ut ſuperes ardua; conſtantiam, ut contemnas dulcia; ſapientiam, ut noveris utilia. Erit tibi ſemper ſtimulus, ut conferas; materies, quam conferas; ars, quâ conferas cum ſuperis animæ ſuprema momenta, cum hominibus negotia, quæ ſtatum, munus, vitæque totius rationem decent. Nullam diem vives, qua non aliquid in tua lucra reportare poteris. Quæ vides, quæ audis, quæ legis, tua erunt, nulli oblivioni obnoxia, atque hac ratione, quæ aliis ſine omni emolumento defluunt, in tua poteris commoda derivare.

A. Sæc. 1. l. 4. vit. c. 71. B. Vit. Ven. Bedæ Sæc. 3. p. 1. ad an. 735. C. Boll. 4. Apr. de S. Iſid c. 2. n. 6. D. Eadmerus in hiſt. Nov. E. hoc eſt titulum *Fides*, in quo ſimiles actus ſunt ſubalterni, ut infra p. 2. videbis.

CA-

CAPUT V.

Ars Memoriæ eſt ſuaviſſimum litterarum condimentum, & ſyncerææ plena jucunditatis.

41. *Eſt jucunda*

E*Uſebius.* Quærant emiſſitiis in omnem florum, & colorum pulchritudinem oculis ſua gaudia Narciſſi, aucupentur ſuas inter varios concentus Orphei voluptates, tripudient inter epulas Sardanapali, inter opes Cræſi, Parides inter amores: hæc nauſeam mihi; & indignantis animi ſtomachum movent; quoties vel prima cogitatione mentem ſubeunt, iraſcor iis, qui tam miſeris gaudiis ſeſe non tam demulcendos, quàm torquendos manciparunt: Muſas amo, ſyncerasque litteras, ac voluptatem haurio, quam ipſæ propinant. Utinàm vel guttam mellis mei hauſiſſent ij, qui cicutam inanis voluptatulæ pro ambroſia bibunt, ſuas profectò ſomniatas lautitias multo ſtomacho execrarentur! *Eubulus.* Hæc tua, quæ non niſi ex nobili animo prodire potuit, ſententia ingens mihi ſolatium affert, & litteras meas novâ dulcedine perfundit. Nemo namque facilè

lè diſpexerit,ac pro meritis dilaudarit, quanta commoda, fructus quanti, gloria quanta eos maneat, qui ſynceræ voluptatis mel in bonis libris ſemel invenerunt, ritéque ſano ſenſu guſtarunt. Sine paucoś menſes dilabi, & ſitient, eſurientq́ue virtutes, animas, ſuam, omnium, boni communis emolumenta, & quò plura imbiberint, eò plùs exacuetur orexis, ac voluptas creſcet bibendô. At verò hanc dulcedinem multis non amarô ſolùm, ſed etiam Lethæo abſinthiô fallens memoria inficit. Cùm enim conſiderant ſe toties, tanto ſtudiô, ac tanta hauſiſſe, nil tamen ferme præter memoriam magni laboris remanſiſſe, tœdiô legendi capiuntur, ac puram dulcedinem accuſant amaroris. Eo ſe malô redimunt, qui notando voluptatem multis incrementis adaugent. Sit magna voluptas, cùm legunt; major erit, cùm notant; maxima, cùm notatis fruentur. Ut igitur hujus tibi boni quendam prægustum feram, auſculta.

42. *Tollit impedimenta litterarum.*

Litteris quandam ſynceram ineſſe voluptatem, nemo ignorat, niſi qui ruri natum ingenium circumfert; & guſtu laborat. Verùm multa ſunt, quæ

quæ dulcedinem hanc è litteris promanentem quodam amarore inficiunt. Peſſimum hunc fontem obſtruxerit, quem excerpere non piguerit. Diſcere volumus omnes, multi, poſſunt; pauci, quæ didicerunt, retinere ſciunt. Unde plurima jam didicit, qui ſedulô calamô impedimenta diſcendi removerit. Cùm enim humanus intellectus tam delicatus ſit herus, ut edere, ruminarìve nolit, niſi quæ memoria appoſuerit, manifeſtum ſit omnibus tantùm nos ſcire, quantùm memoriâ retinemus. Quàm autem hæc inops ſit, & anguſtæ ſupellectilis, nemo meliùs ſcit, quàm qui multa didicit. Hinc ni muſas proſtituere velimus, ſtudiosè collaborandum eſt, ut memoriam quoquo modo, artéve tueamur. Quâ verò ratione id tandem fieri queat, niſi calami ſuppetias evocemus, non diſpicio; video tamen, ac guſto hac in re tam neceſſaria, utili, totque encomiis celebrata, ingentem dulcedinem, ſi animum iis amaris non minus, quàm frequentibus impedimentis admoveo, queis ſtudia litterarum apud potiores flagellantur. In bello licet nil ſit bellum, rapiuntur tamen arma cum gau-

dio

dio, ac eò majore, quò bona pacis, quæ quæruntur armis, altiùs trutinantur: ita demus non abeſſe ſtudio notandi laborem nonnullo abſynthio inſperſum, dulceſcet tamen, ſi perpendimus quanta tœdia, amarores quanti, impedimenta litterarum quanta hoc uno labore abſumantur. Qui verò ea omnia compendiô referat Quàm fædè graſſatur in litteras ſciendi libido, perfidia memoriæ, temporis anguſtiæ? In diſcendo deſidia, in docendo invidia, in conſervando pigritia inſidiatur? Quid de muniis externis dicemus, quibus pauci ſe redimere poſſunt; & mentem diſtrahunt de penuriâ aptorum librorum, qua plurimi laborant; & ſtudia ſufflaminant? de ægritudine animi, quam nemo non quandoque ferre cogitur & nauſeam litterarum incurrunt His tamen omnibus malis, & horum malorum peiori ſcientiarum abuſu ſe expediunt, quotquot graviter excerpunt. Quid jucundius? Nec hæc ſolis verbis nituntur; ſed præterea grandi rationum firmamento fulciuntur Da enim hominem gnavum, calamo aſſuetum; an damnum feret à curioſitate? vitium ea eſt inconſtantis animi

ni; ſtudio notandi facilè excluditur. An patietur à penuria temporis? tempus famulatur notantibus: integros præteritæ ætatis annos in ſua obſequia revocare poterunt. An nocebit inopia librorum? præ integra bibliothecâ paſcent excerpta: commodantium ſtudiô libros alienos facient ſuos. Senium ipſum, quô nil pejus alias litteras impetit, induſtriâ notandi cogi poteſt, ut floridæ juventutis tenorem ſervet. Subducat memoria, quæ de humanioribus ſcientiis congeſſimus in juventute, de Philoſophicis in adoleſcentia, de Theologicis in ætate virili; & licebit, quæ ſenectutis oblivio abſtulit, unius mẽſis labore revocare. Horum omnium tibi teſtem ſiſto longè maximum Joannem Mabillonium. *Cùm hominum*, inquit (a) *memoria fragilis admodum ſit, & capacitatis extremè limitatæ; neceſſe penitus eſt, ut, qui progreſſum aliquem in ſtudiis facere contendunt, huic defectui competentibus mediis occurrere ſtudioſè allaborent. Hæc autem inter annotata cenſentur, rerum lectarum ſynopſes, & compendia; tantæ conſiderationis momentiq́ tanti, ut qui vel vivaciſſimâ gaudent fruunturq́ memoriâ, eadem*

vili-

vilipendere non debeant, nec negligere: Derelinquetur enim olim ab eadem, experientúrque ſe quandoque deſtitutos idæarum quantalibet ingenti congerie: Nec huic memoriæ paralyſi medentur, qui ſibi medicinam ab induſtriâ legendi pollicentur, ac dicunt uſuros ſe libris, ceu cibis, quorum illi ad valetudinem optimi, qui quotidie ſumuntur; peſſimi, qui plauſtratim invito ſtomacho ingeruntur: cuivis diei edendum eſſe, ſtudendum cuivis: hinc ut damna ſtomachi, ſic & ingenij poſtliminiò reſarciri poſſe repetitô legendi ſtudiô. Nam aliô longè ſenſu agi cupit rei litterariæ aſſeclas hic, & in orbe celebratiſſimus Mabillonius, cùm magnâ energiâ reſpondet iis, quos ſpes lecta relegendi decipit, & à notandi ſtudio reddit alienos. *Sunt equidem,* (b) ait, *qui judicent adiuvari poſſe, firmariq́ nonnihil hanc memoriæ fragilitatem, ſi ſcilicet iidem ſæpius relegantur authores: at quoniam reflexiones iſtæ noſtræ propriæ ſunt, ſubindeq́ rurſùs evaneſcere citò ſoleant, hoc ipſum remedii genus lubricum eſt, & infidum; occurretq́ue cum tempore, ut rem aliquam, etiam ſæpius lectam hic, & nunc ad uſum trahere volentes, inquiramus*

in

in vanum, ſi priùs ejusdem neglecta fuerit excerptio.

Amovebit igitur ſtudiorum obſtacula nemo feliciùs, quàm qui calamô amoverit; hauriet igitur ex ſtudiis mel nemo dulciùs, quàm qui ex notis hauſerit; afferet igitur ad ſtudia mentem nemo jucundiùs, quàm qui ad excerpta attulerit. Atque hanc tam ſynceram voluptatem haurire licebit non ſolùm ex notarum uſu, ſed & ipſo notandi exercitio. Quid enim jucundiùs, quàm quotidie ex ampliſſimis, & fertiliſſimis SS. Patrum, Theologorum, Philoſophorúmque viridariis arbuſculum, frondem, florem (notitias rerum lectarum dico) in excerpta ceu domeſticum hortulum transferre? quid jucundiùs, quàm litterarias opes adaugere magnis incrementis, labore minimô, fructu maximô? quid jucundiùs, quàm aurum lectiſſimæ doctrinæ ex libris velut opulentis aurifodinis eruere perenni novæ opulentiæ acceſſu? Atque hos omnes ſive opum, ſive auri, ſive arbuſculorum theſauros ſolo notandi ſtudiô poſſumus extra furacis oblivionis, temporis, ſeniíque injurias collocare.

48 Eſt jucunda quoad exercitium

44 *fructum exercitii, ex*

Si itaque jucundum eſt ſcientiæ floſculos decerpere, aurum inſignis notitiæ effodere, opes demum variæ litteraturæ colligere; an non jucundiſſimum erit hæc omnia intueri, omnium reminiſci, omnibus frui? guſtu ſanæ mentis laboret, neceſſe eſt, qui hanc dulcedinem non ſentit. Senſére ſanè illi viri maximi, quorum exempla ad excitandam orexin attulit ille, qui nil non ad periclitandum hanc ſuavitatem allatum cupit ætatis noſtræ Doctor (c) maximus. Quòd ſi viri igitur tam eximij utilitatis plurimæ, ex utilitate voluptatis ſynceriſſimæ, ex voluptate honeſtatis maximæ notandi ſtudium eſſe cenſuerunt, quis volet diutiùs ea ſe lætitiâ deſtituere, niſi qui palatum animi degeneri, mundanaq. voluptate jam adulterarit? Qui ſapiunt, notant. *Eruent hoc modo ex ſcriptura* (addidero ego ex quovis inſigni libro) *præparabúntque monachi* (quis alios, niſi volentes excluſerit?) *caſtas ſuis cùm cordibus, tum animis delitias, cognoſcéntque cum Davide; cùm ſemel guſtaverint, infinities eſſe præſtantiores omnibus, atque præferendas quibuslibet etiam imaginabilibus mundi divitiis: nec ullam eſſe hic*

in

in mundo delectationem, quæ comparari mereatur ſuavitatis dulcedini, quam omnium illorum imprimunt animis, qui ſeriò quærunt, & ad eaſdem aquirendas ſtudium omne, laborem, conatúmque referunt. (d)

45

Ad id credendum ſe ſe facilè inducet, quiſquis animum ad materiem, ex qua Ars memoriæ ſua tenerrimæ voluptatis fercula parare docet, adverterit. Quæ oculis, quæ auribus, aliôve ſenſu uſurpavimus, calamô immortalitate quodammodo poſſumus donare. Quis adeò ſterilem circumfert animum, ut non quandoque proprio ſtudio excogitatam producat doctrinam, eruat veritatem, inveniat rationem, quæ memoriæ inſeri ad futuros uſus mereatur? Damnata ſit, oportet, ſterilíſque terra, quæ ſæpius arata, ſtudioſè culta, ſolerter laborata, nil tamen dignum horreo proferat: nefaſtius, ſteriliúſque neceſſe ſit ingenium, quod vario ſcientiarum ſemente imbutum nullos tamen unquam cogitatus tanti momenti ferat, qui tabulis conſignari mereantur. Longè feraciore utuntur animo, qui notant. Suum, cùm vident, ſuum cùm audiunt, ſuum cùm cogitant, fructum fe-

cauſa materiali ex auditis viſis excogitatis, in

runt; quantâ id autem voluptate, quis explicet, niſi eandem potuerit deguſtare? Gilbertus ſanè mellei Bernardi dulciſſimus diſcipulus ſuaviſſimam hanc ambroſiam omnibus ſuis aſſeclis liberaliter propinat, cùm hortatur, & excitat, ut, quæ notatu digna ſive oculis, ſive auribus, proprióve ſtudio in-
46 veniſſent in ſua narthecia (e) ſedulò
concionibus referebãt. Bernardus ipſe eam, quæ audierunt, annotandi diligentiam in ſuis ſodalibus non tantùm probavit, ſed & magnâ lætitiâ vidit, & ut cœptis inſiſterent; ſingulos animavit. *Aliqui fratres*, inquit (f) *nonnulla ex his, quæ me coram audiére loquentem, ſtylô ſuo excerpſére.* Amplior longè
lectione menſali. notandi, lætandíque ſeges præbetur illis, quibus illa beata ſors quotidiè menſæ, quæ lectione ſacrâ conditur, aſſidendi obtigit. O quàm grandem ſibi parabunt Theſaurum variæ notitiæ ſine ulla temporis jacturâ, quam tamen alii legendo, velint, nolint, ſubire coguntur, ſi, ubi ſe in cubiculum receperint in tabulas retulerint, quæ muneri inſtituto, laboríve conferre videbantur! Næ illi brevi tempore, labore exiguo ſe ditatos ſentient illuſtri rerum, ſententiarum, exemplorúmque apparatu!

ratu! Ex his ſcaturit novus novæ vo- 47 *rebus omnibus.*
luptatis limpidiſſimus fons fæcunditas ingenij. Nam ita naturâ comparati ſumus, ut ex iis, quæ frequenti uſu tractamus, facilè nova eliciamus. Nempe inventis addere natura fecit facile, & jucundum, & una doctrina fæcundiſſima parens eſſe conſuevit alterius. Si igitur ſtudiô notandi non ſolùm ea, quæ in ſcholis poſt diuturnos, & arduos labores didicimus, ab injuriis oblivionis vindicare, ſed novas ſemper ex iis, quæ audivimus, vidimus, ac ipſi excogitavimus, rei litterariæ gazas eruere poſſumus, quis artem memoriæ longè jucundiſſimam denegabit? Videant alii otioſô ſpectaculô exagitatas â canibus per luſtra ſylvarum feras: qui notant, cùm aſpiciunt, diſcunt animarum ab infernali cane tentatarum diſcrimina. Longus ſim, ſi per ſingula, quæ illi pervadunt, vel compendiô ire attentarem. Ubique diſcunt, digniſſimi proin, quos nemo non ceu magiſtros communes ſuſpiciat, cùm non erubuerint ab omnibus rebus ceu diſcipuli diſcere, & diteſcere. Illis non fruſtra urit ignis, movetur, äer, fluit aqua, terra parturit, ſed calores omnes, motus, fluxus, fructúsque in ſua penuaria ſciunt arte transferre.

48 *materiâ jam paratâ per aliquot annos.*

Da mihi jam hominem, qui vel unum luſtrum hac ratione in rem ſuam calamô ſit uſus. Plus ille mentem tuam rapiet, quàm quæcunque cogitare poſſunt animorum illicia. Vis ut Acheronta ſubeat, & damnatorum tibi ſupplicia exaggeret? exaggerabit facillimo (g) modo, nunc ſenſu SS. Patrum, nunc exemplis, nunc teſtibus ex altero, & iſto mundo evocatis. Vis ut tibi Beatarum animarum patriam, regna, felicitatem, ac innumeras voluptates monſtret? monſtrabit pari facilitate ſua, pari tua admiratione. Vis quid pro Deo, fide, ordine, Sanctorum Zelus, Martyrum conſtantia, Religioſorum virtus auſerit? O quanta tibi prodigia exhibebit ex animi demiſſione ſe ſe abijcientium à ſolio ad ſolum, ab aula ad caulam, à faſtigio ad faſtidium! ô quanta tibi certamina præbebit pro Chriſtianis ſacris extrema quæq; ſubeuntium, nunc rogos, ut comburantur, nunc rotas, ut conterantur, nunc alia, & alia ſupplicia, ut mille mortibus conficiantur! Videbis tamen has omnes carnificinas ferri cum gaudio, concupiſci ex voto, quæri ſine tœdio. Integris ingentis libri ambagibus non attulero, quæ

ipse

ipſe de virginitate candida de obedientia inſolita , de patientia infracta, de gratitudine ingenioſa, de prudentia exquiſita, de fortitudine heroica, de juſtitia proba, de temperantia miranda, inter paucam unius diei intercapedinem miracula poteris proferre. I iam mecum per omnes, quibus *Notata* conſtant, libros, & ex omnibus, ſi licet ſolum nomen propinavero, novam hauries voluptatem. *Primus habet Numen*: en vaſtum mare SS. Theologiæ in ſcrobiculo unius thecæ concluſum! *Chriſtúmque ſecundus*: en prodigia DEI Hominis in Iliade contenta! *Adornat Virgo Parens ſequum* Virginitate fæcunda, fæcunditate Virginea; Charitate, qua amat, Charitate, qua ametur: prodigiis, queis infera, & ſupera implet, ima ſummis copulat. *Quartus ſacra flumina ducit*, & omnia, queis Eccleſia præſtantius nil poſſidet, Sacramenta propinat. Ex hoc ceu communi armario proferes eſurienti panem, & cœleſtem; captivo libertatem, & prodigioſam: pugnanti robur, & infractum, morienti vitam, & æviternam. Quid jucundius? *Angelus eſt quintus*, & prima fert monumenta, ex quibus diſcas, quid debeas angelis pro magiſte-

ſterio diſcipulus, pro tutelâ defenſus, pro amore amicus, pro beneficiis gratus. *Sanctorum gloria ſextus*, & anacephalæoſin claudit honoris, præſidii, ſimul & exempli, quæ ex tam varia, multiplicíque Cœlitum myriade hominibus adveniunt. *Septimus eſt virtus* & Chriſtianæ reipublicæ opulentiam uno velut obtutu ob oculos ponit. Quid ad concitandam teneritudinem animi potentius? *Octavus crimina narrat. Mixta refert nonus, Decimúſque Sacrantia claudit.* Ille quot titulis conſtat, tot cuniculis arcem ſuperbiæ ſubruit, Infidelitatis improbam fidem convellit: malum omne expugnat. Quid de hoc dicamus? ſolus fere omnibus dicendis ſufficit. Scrutantibus arcana naturæ præbet Philoſophiam, reipublicæ moderatoribus Legem, civibus contrahendi, colonis ſerendi, omnibus vivendi normam pulcherrimo ordine, claro compendio, facili methodo ſubminiſtrat. Iſte verò ultimus ordine, primus merito quantam comprehendit lætitiæ materiem *Actionem*, qua nihil jucundius ob varietatem; *Beatitudinem*, qua nil majus ob æternitatem; *Cenſuram*, qua nil illuſtrius ob majeſtatem. Integrum alphabetum

ſi contexuero, nondum tamen filum præbeo pulcherrimi illius, ac aurei vinculi, quo totus cohæret. Hoc vinculum quisquis ſemel induerit, exuet captivam mundi libertatem, & liberæ Liberalium artium captivitati ſe ſe mancipabit. Hoc vinculo patietur ſe pulpito alligari ad legendum, ſcribendum, excerpendum, componendum, vivendum.

Tantam dulcedinem propinat ſola notarum materies, quantam non afferet, ſi ars memoriæ elaboraverit in favum mellis, in electuaria, in delitias ingenii! Genera namque ſpeciebus (h) miſcet; quæ per omnes rerum gradus vagantur, in ordinem redigit; ſexcentis hominum muneribus ſua media ad fines diſpenſat, eáque omnia tam pulchro ordine, ut quidquid velis ſeu ad docendum, ſeu vivendum, abundè ſine defectu, perſpicuè ſine confuſione, tranquillè ſine labore ſubminiſtret. 49 *causâ formali*

Accedit his ceu complementum pulcherrimæ voluptatis quævis ingenui hominis indoles. Omnes ſcire cupimus, ac cujuslibet ſciendi fames eò major eſt, quò majorem virum promittit: ſed famem diſcendi quantùm non accuunt, qui ſemel notarum *efficiente*

dulcedinem guſtârunt! Inveniunt enim non ſolùm favum Ariſtotelis, Platonis, & cæteras doctæ antiquitatis delitias, ſed ex iis calamô quintam, ut ita loquar, voluptatis eſſentiam extrahunt. Scriptura ſacra (ſolam reverentiæ nomine vocemus) integrum delitiarum mare pro meritis appellatur. At, ut ex hac Abyſſo hauriant, aliis difficillimum, facillimum excerpenti. Habet is artem paratam, qua educat Hiſtoriæ, Allegoriæ, Tropologiæ, Anagogiæ mel, & ſuccum ſelectiſſimum. Nullam diem ſibi tam infauſtam oriri ſinet, qua non notanda legere, aut lecta poterit annotare. Ipſa, quibus diſtinetur officiîs, curîs, locísve, & vires, & calcar addent ad notandum. ſæpe námque nullâ rerum curâ tangimur, quoúsque earum penuriâ flagellemur. Sit itaque, qui experientiâ doctus didicerit, quantâ vel in unico officio ſit opus diligentiâ, in unicâ curâ ſtudiô, in unico loco patientiâ, næ maximi labores, ſi ſemel guſtârit, quantùm notæ ad diligentiam, ſtudium, & patientiam conferant, ab induſtria notandi non avocabunt, ſed allicient, ut modò librum; compellent, ut modò calamum; inducent,

ut

ut modò tempus ad utrumque capiat. Quid, quòd, ſi aliud non ſinant otia, horam furabitur nocti, ut dies nulla ſine lineâ, velut ille (i) loqui in rem noſtram ſolebat, dilabatur.

Verùm, ut ut nobilis animus arte notandi afficiatur, majus tamen incitamentum, ex incitamento ſtudium, ex ſtudio gaudium vix alia res conciliârit, quàm ſcopus ille jucundiſſimus, in quem notæ collimant. Quid eſt igitur, quod, quam tractamus *Ars memoriæ*, reſpicit? Illud ſanè, quod ſcientiæ omnes, docti omnes ac omnis ætas inveſtigat. Quærit Philoſophia naturæ abdita, Jurisprudentia virtutum merita, Theologia Divinitatis ſublimia; quærit & ars Memoriæ, inventa caſibus, oblivioni, ac inerti otio ſubducit, in uſus animarum, reipublicæ, proprios, & alienos producit, in varia demum commoda tam ſacri, quàm profani fori derivat. Dicendum è roſtro, & invehendum in ſcelera? dicendi materiem parat Ars Memoriæ. Veritas in publica palæſtra propugnanda? propugnanti ſubminiſtrat arma, Ars Memoriæ. Scribendi libri? ſcribendi apparatum afferet Ars Memoriæ. At inquis: non tam ampla

mi-

mihi doctrinæ ſupellex, ut poſteris, ſi
velim, poſſim aliquas eruditionis opes
tranſcribere. Demus interim tibi hoc
51 Euſebi, tu tamen notes. Tres námque
magna illa univerſitas (Eccleſiam dico)
numerat ſtudentium claſſes, omnes à
DEO ſupremo ſcientiarum Magiſtro
immortalibus laudibus efferuntur,
omnes Doctoratûs laureâ inſigniun-
tur, omnes magnis honoribus exco-
luntur. Primam adeunt, qui ſolius
propriæ beatitatis cupidi artem ſalutis
diſcunt. Alteram frequentant, qui
ſuo bono non contenti, alienis com-
modis ſtudiosâ diligentiâ inhiant,
quam diu vita ſuperſtes, diſcendô diſ-
cendi, docendô docendi, vivendô
vivendi leges præbent. In tertia
demum ſedem, & laudem me-
rentur, qui ſe ſe brevibus humanæ
vitæ anguſtiis non patiuntur con-
cludi, ſed plus ultra vitæ ſpatia, ſupra
fata animos vivendi exporrigunt, ſcri-
bunt, ut mortui ſupeditent viventi-
bus, ac partem ſuæ æternitatis alteri
vitæ jam aſcripti tranſcribant poſteri-
tati. Si ritè litteras amas Euſebi,
eradi nolis, alterutri claſſi nomen
& ex albo piè doctorum penitùs
tuum des, neceſſe eſt. Studendum,
ut tibi bonus ſis, quod magnum; aut

ut

ut tibi & aliis, quod majus; aut ut tibi, & aliis non ſolùm modico vitæ tempore, ſed etiam poſt fata, quod maximum, proſis, diſputes, & concionéris. At non audes aureis tertiæ claſſis nominibus tuum jungere; non potes ſecundæ; illud prohibet res ingenij 52
anguſta, hoc ſolitariæ vitæ ratio? ſed quid occludit aditum ad primam? ſanè nihil: viam aperit ſana ratio, in intima penetralia deducit virtutis pulchritudo, detinet divini cum Superis commercij dulcedo. Quis explicet quantum guſtum rationi, quantum decus pulchritudini, quantum demum incrementum dulcedini excerptorum favi ſuperaddant! Ut ſcias ſyncerè piæ, fraudulenter fucatæ voluptatis diſcrimina, velíſque illam guſtare, ac hanc poſſis devitare, quantum notæ conferunt delitiarum! Tres duntaxat Titulos, ceu fontes ſuaviſſimæ dulcedinis aperiamus. Primus ſit *Gratia* (l) *Charitas* alter, *tertius* (m) *Induſtria.* Ex primô, ſi leges notandi (n) ſervaveris, diſcere poteris, quantos Deus favores, Theſauros, munera promiſerit, cuivis virtuti in vita, in morte; & quantam ſic diſcendo hauries voluptatem? Alter velut vivis coloribus ob oculos ponet

ama-

amati Numinis Bonitatem, amantium ardentia exempla, amandi efficacia motiva; & hæc omnia intueri quoties libuerit, intueri ſine tœdio, intueri maximo cum præmio, erit conceſſum. Poſtremus in omnem fortunam dabit media: concitent in te grandem adverſi caſus tempeſtatem; *Induſtria* docebit, quò aut procellam magnanimiter feras, aut fortiter diſpellas. Audenti bellum in vitia, robur; enitenti ad virtutem, animos ſuppeditat: curiis conſilia, militiæ arma ſubminiſtrat. Taceo jam alios, & alios *Titulos* pulcherrimæ voluptatis dulciſſimas ſcaturigines: omnes ſuo nectare fluunt, ambroſiam propinant omnes, omnes ſynceræ litteraturæ ſitientes invitant.

13 Obſtruamus igitur Euſebi amaras illas, & invitas, & lentas ciſternas, ad quas ſicci ſedent, qui doctrinam ſine calamo quærunt; & aperiamus ſedulô notandi ſtudiô fontes delitiarum, quibus exundant ii, qui ſuaves litteraturæ latices non intellectu tantùm, ſed & voluntate, oculis, auribus, quin & omnibus ſenſibus hauriunt, viſa, audita, in libris inventa, ac proprio ſtudio excogitata in ſuos uſus derivant.

vant. Et experiéris voluptatem viro dignam maximo, cùm ex cathedra docendum, cùm orandum, cùm agendum nunc inter afflictos, ut erigas; nunc inter inſcios, ut doceas: nunc inter malos, ut convertas. Calamus tibi non tam atramentô, quàm melle fluet, cùm ex librorum alveariis educes inſolita, fortia, ſacra ad terrendum, animandum, & docendum facinora, & tuo ſunt hæc omnia in arbitrio poſita. Excerpe, & faxint ſuperi, his delitiis potiéris.

A. tr. de ſtud. monaſt. p. 2. c. 14. B. ibid. C. Joan. Mabill. cit. p. c. 2. D. hactenus Mabill. loc. cit. E. ibidem p. 1. c. 10. F. ep. 17. ad Petr. Card. G. ſcilicet tibi legendo *titulum* de *Inferno*, Juſtitia Dei, & alios connexos, qualis eſt *Vagus Pœna*, qui tibi ſuppeditabit decreta in quovis tribunali quibuslibet noxis ſupplicia. H. ſunt enim alii tituli *Generici*, alii *ſpecifici*, alii *Fixi*, alii *Vagi* ut p. 2. c. 5. dicemus. I. Plin. L. eſt vagus, de quo infra p. 2. c. 5. M. etiam, & p. 2. c. 5. N. de iis agemus totâ p. 2.

CAPUT VI.

Artem Memoriæ commendat honor, & honeſtas, ac decet quemvis litterarum amantem.

54 *Quærere ſcientias non ob voluptatem, ſed*

EUbulus. Maximas, eáſque pluri-mas difficultates ſuperandas eſſe, vigilandas noctes, dies totos impendendos plurium annorum prolixo labore, quousque ad ſacra cujusdam ſcientiæ adyta penetretur, nemo eſt, qui auſerit inficiari. At verò æterna Sapientia DEUS arduos hos conatus non ſolùm animi robore confirmare, ſed etiam mira quadam dulcedine condire conſuevit. Sciunt hoc, quotquot ſcire volunt, & ad ſcientiam ſunt enixi. Si igitur litteræ ſuis delitiis non carent, cùm per arduos anfractus quæruntur, quantæ ſint neceſſum eſt, voluptatis, cùm inventæ guſtantur. Ut ut autem hæc ita ſint, ſcientiæ tamen, cùm cœleſtis ambroſiæ quædam ſint nobiliſſima portio, quâ illam guttatim prægustamus in terris, hauſturi pleno ore in cœlis, ob voluptatem quæri renuunt, detrectant inveniri. Et meritô; proſtituunt, non colunt Philoſophiam, Jurisprudentiam, Theologiam,

cæ-

cæteráſque artes liberales, qui eas am-
plexantur ſtudio, tractant uſu, ut cu-
rioſæ mentis libidinem paſcant, lites
ſerant, per divina vagentur, & de-
mum ſciendô ſciantur. Abſit hæc à
nobis, & à litteris graviſſima injuria,
ut eas tractemus, uti coquus gulæ
lautitias, quibus nulla mentis, ſola
ventris voluptas inquiritur: ſumma
religione invitari, ſtudio virili, non
effæminato inveſtigari, utilitate, non *utilitatem*
voluptate litteræ cupiunt uſurpari.
Sunt, ut proſint; ſi non proſunt, ab-
ſunt, ac tum non tam ſcientiam poſ-
ſidemus, ac ſcientiæ umbrâ ludimur:
inde tam brevis ad inſipientiam illis
via, qui ſapientiâ abutuntur ad vitia,
faſtum, & luxum. Habes hujusce
rei tot tragica exempla, quot Eccleſia
unquam tulit; imò non tulit, ſed ſacro
anathematis fulmine ſuſtulit, hæreſe-
on conditores: ſapiendo deſipuerunt
omnes, omnes deſipiendo perierunt.
Pari prorſus ratione licet arti memo-
riæ ſua quoque ſit voluptas, ob eam
tamen non diſcendam, nec exercen-
dam eſſe, grandia nobis evincunt ar-
gumenta, & ipſa ſuadet omnibus ſci-
entiis debita religio. Nam qui ſola
utilitate trahitur, avarus: ita qui ſola

voluptate, luxurioſus meritò cenſetur: honeſtate, decore, pulchritudine univerſa hominum vota, & votorum obiecta metienda ſunt, tantóque illa erunt meliora, quantò hæc honeſtiora, decora magìs, & fuerint pulchriora. Quare licet ſedulum notandi ſtudium conquiſitis undique laudibus efferre conarer, nihil à me ageretur, niſi magnam ei honeſtatem annexam demonſtrarem. Ea autem quanta ſit, pulcherrimo mihi obtutu videre videor, ſi hominem, cui bene

55. *Convertit litteras in virtutes.*

cum ſuo muſæo, & libris convenit, ob oculos adduco. Intuere, quanto ſtudio legit! hæc deſignat ad confirmanda fidei dogmata contra heterodoxos; illa ad expugnanda vitia contra depravatos; iſta derivat in domeſticos animi ſui uſus, nunc ad excolendam quandam virtutem, nunc ad eventilandam quandam veritatem; quot ſententias legit, tot gemmas colligit, cúmque pulchra, honeſta, decora perpetuò tractet, quid mirum, ſi brevi temporis ſpatio in lectiſſimum pulchritudinis, honeſtatis, & decoris prototypon evadat! O quot ex una unius tanti hominis forma homines formare liceret; ſi, qua ille ſolet, in-

induſtriâ legerent, & excerperent! diſcendi, docendíque pruritibus ſuccederet moderatio, deſidiæ temporis parſimonia, neglectui ſacrorum æſtimatio: virtute animus, vita moribus decore tota membrorum, ſenſuum & paſſionum familia componeretur. Litteræ námque ſolem æmulantur: tenebras ille aëris, hæ mentis diſpellunt, & quò ille ſuos radios mittit, illuc decorem infert: & hæ cui ſua lumina diſpenſant, venuſtatem largiuntur, nemini autem majori cumulô, quàm qui non ſolùm in animum admittit, ſed etiam animo imprimit, animum firmat arte, ingeniô, calamô, ne ullæ unquam eam tenebræ valeant abolere; ſed ut venuſtas in publico ex inceſſu, ſermone, & operibus; in occulto ex commercio cum Superis, ex uſu temporis, ex ipſa demum mentis quiete ſplendeſcat. Nec eſt, cur tanto ſplendori eclypſin timeamus. Demus, minetur oblivio ſuas nubeculas, humana inconſtantia incipiat ſuas adducere maculas, ille in orando calliget ſenſus, in agendo ardor tepeſcat; ſolis notis omnes nubes pelli, maculæ elui, & torpor poterit diſſipari. Omnis námque ille

pulchritudinis apparatus perdurat in charta, inſtaurando decori haud opus eſt, ut denuo libros diſcutias, novos ſubeas conatus; eo tantùm, quo excerpſiſti animo, excerpta relege, & vitæ moribúsque tuis priſtinam formam conciliabis.

56 *Eſt mater librorum fœcundiſſima*

Et! quid honeſtius, & ingenuo homine dignius ac ſtudio amplecti eum laborem, qui præſtantiſſimos, prope innumeros, ferme omnes libros peperit? peperit ſedula cura notandi. Quotquot enim hactenus ſcribendo ſibi Chriſtianæ reipublicæ litteras, & ſtudia demeruerunt, non uno menſium, ſed multo annorum labore ſcribendi materiam parare conſueverunt. Atque id expoſcit humani ingenii tarditas: ſucceſſivis illud incrementis creſcit, ſubitis obruitur; hortos imitatur, longâ annorum patientiâ veſtiuntur arboribus. Fungi unâ protuberant nocte; magna tempore apto concipiuntur; naſcuntur ſuô, longô educantur. Expoſcunt id ipſi, ſiquidem eâ nominis majeſtate digni ſunt libri: gemmæ ſunt; diu paranda concha eſt, ferenda tempeſtas, ros à liberali aurorâ frequens excipiendus, ſpatiô pretium menſuran-

dum

dum, absque hoc concha non pariet, ſed abortiet. Libri templa ſunt, in quibus ſapientia colitur, virtus adoratur: non ſubitò caſúque coëunt, longo ſtudio educuntur. Patientiſſimo diuturni laboris calamô convehenda eſt materies, quæ ſe ſubrigat in columnas, extendat in parietes, attollat in turres, componat in aras, ac demum in omnem artis formam ſe ſe diſpenſet. Libri armamentaria ſunt univerſæ inferorum potentiæ terribilia. Tot tormenta bellica, bombardas, ariedes continent, quot argumenta producunt. Quot capita, articulos, figuras, lineas, verba numerant, tot pyloclaſtris inſonant ad terrorem, tot igniarias bolides emittunt ad frangendos animos, tot fariſſas ſtringunt ad conficiendos errores. Quidquid ad horrorem terrificum, ad irruendum forte, ad tuendum expeditum excogitavit unquam heroum bellô prompta virtus, hoc totum ordine, numero, præſtantiâ longè pulchriori, majori, & meliori libris ut comprehendatur, neceſſum eſſe, tota ſapientûm ſchola judicavit. Et quis jam non videt, annis opus eſſe, & longo tempore, quo convehatur cumulus

ille ferri, æris, ligni ad tot paranda arma neceſſarius? noverunt hoc illi, qui calamum in errores, & heterodoxas acies ſtrinxerunt, qui veritatis imperium litteris propugnarunt. Diu antequam in campum prodirent, hoſtium ſtratagemata, robur, & arma explorarunt; diu ante didicerunt, quid opponendum hoſti promptè, cùm allicit; afferendum fortiter, cùm impugnat; agendum cautè, cū inſidiatur. Injurius ſanè bonis litteris, & ſcientiis omnibus parum æquus arbiter, qui hæc omnia memoriæ occurſura somniârit potiùs, quàm autumârit, ut primùm ſibi otium ſumpſerit ſcribendi. Abſit à me, & bonis omnibus mala illorum exiſtimatio, qui ſcriptores vix meliore, ac ſutores ſenſu aſpiciunt, & libros, ut calceos confici putant, quibus illo die, quo prima, etiam ultima manus apponitur. Si igitur viros magnos imitari non ſolùm honeſtum, ſed omni laude digniſſimum cenſemus, quantum honoris, & exiſtimationis cumulum illis acceſſurum affirmabimus, qui illos æmulantur ea in re, quâ ſibi rempublicam litterariam, & Eccleſiam univerſam demeruerunt? unde nihil cau-

ſa-

ſaborEuſebi,licet hos tantos viros conſecutus non fueris, nec ut illi ſolent, elucubrandis libris tibi poſtera ſæcula obſtringas, ſi modò, quantùm vis ingenij, vitæ tuæ ratio, & majorum imperia ſinunt, eos eminus ſequi collabores: conſequéris tamen hominis eruditi laudem, in conſiliis dandis promptus, in roſtro eloquens, in ſtudiis omnibus expeditus eris. Tuam conſtanter, proximi prudenter ſalutem quæres; ſacra piè, profana cautè tractabis; omne tempus utiliter, omnes conatus ſapienter collocabis.

57 *actionum honeſtarum*

Et verò ſi hæc omnia tolleremus, ſtudium tamen notandi glorioſum, & laude plenum eſſe, virtutes omnes comprobarent. Quanta encomia, panegyres quantas Euſebi, & quanta admiratione audires, ſi vel unam virtutem, cùm excerpentium laudes efferunt, poſſes auſcultare! Eorum muſæum templum eſt, in quo omnes coluntur; caſtrum eſt, in quo omnes propugnantur; cœlum eſt, in quo omnes adorantur. Nec hæc ſpecioſiùs ad pompam, quàm veriùs ad normam à me dicta exiſtimes. Tam beatum muſæum ipſi cogitatione ſubeamus,

virtutum variarum ex

& ne dictis majora referemus, dicendíque materiem parabimus omnibus, qui ſtudium notarum eô, quô par
38 hypotiposi eſt animo, nondum venerantur. Imaginare tibi excerpendi ſtudio aſſuetum. En ſuo in conclavi ſummo ſilentio ſolus ad pulpitum conſidet, ob oculos habet librum ab Auctoris, & materiæ præſtantiâ perinſignem, legit SS. Martyrum pro re Chriſtiana, & fide certamina. Et ecce, modò cum ipſis execratur ſacrilega ſacra, conculcat idola, amplexatur ſupplicia. Nonnulla, quæ legit, deſignat meditationi, quæ tractet cum ſuperis; alia colloquiis, quæ conferat cum ſodalibus; quædam roſtro, quæ proponat auditoribus. Quæ deſignavit accurato calamô ſuas in claſſes reponit, & reponendo novis animi affectibus proſequitur: nunc fidei, nunc amoris, nunc aliis pro Fidei ſacris ebullientis animi ardoribus. Tria grandia commoda ex unica fidei veritate decerpuntur; magnum bonum eſt, cùm veritas, dum legitur, placet; majus, cùm deſignatur futuris uſibus; maximum, cùm annotatur. Illud pulchritudini veritatis debemus; hôc eam colimus, iſtô ut colatur à nobis, & ab aliis homi-

minibus, quorum conſuetudinem uſurpamus, providemus. Perpende jam mihi quot, & quanti unius intra diei anguſtias virtutum actus queant exerceri? virtutis opus eſt, cùm legis, cùm æſtimas lecta, cùm æſtimata in mores redigere conaris, licet tyrannidi oblivionis animi tui decreta non poſſis ſubducere; quantæ virtutis non jam opus, ſed facinus erit, cùm oſtendes DEO, Cœlitibus, ſuperis omnibus, tanta te rerum ſacrarum æſtimatione duci, ut pati non poſſis minimarum earum tibi portionem memoriâ, vitâ, moribus abduci, ſed omnia chartæ velut æri, calamô velut ſcalprô imprimas, & quantùm in te, religioſiſſimæ dones memoriæ immortalitate?

Quid igitur mirum, ſi tam æquum rerum ſacrarum æſtimatorem effuſa Numinis liberalitas immortali quoque memoriâ remuneretur! ô quanta præmia ferent labores illi, quos, cùm legit, deſignavit, excerpſit, opus erat ſubire ſeduli calami ſtudioſo! Quærant alii diurnis, nocturniſque ſtudiis principum favores, inter homines gloriam, opes amplas, auream domi ſupellectilem, foris fa- 59 *meriti magni in cœlo ex*

 mam

mam; favor longè melior, gloria major, & opes ampliores manent eum, qui ſyncero rei catholicæ ſtudio ductus veram doctrinam probè, conſtantérque perrexerit annotare.

60 cultu Cœlitum

Quo enim loco, honoríſque gradu eum olim in cœlis fore apud divinam Matrem, Angelos, Cœlites omnes exiſtimabimus, qui, ut ſingulos coleret, ſingulos calamô depinxit; ſingulorum virtutes, ut imitaretur, excerpſit; ſingulas prærogativas, ut neminem non ad eorum cultum perduceret, collegit? Accedit his magna illa, quam cujusvis rei frequenti uſui, tractationíve ineſſe ſcimus. Uſus artes omnes docet, & conſervat; & tales ferme quique ſumus, quales nos uſus formaverat. Uſu difficilia ſuperantur, uſu tecta eruderantur, uſu impervia pervaduntur. Uſus annorum milites, & Librorum Doctores facit. Uſus regit imperia, vibrat ſceptra, colit ingenia: & inter homines conſervat humanitatem. Hanc magnam uſûs, tractationíſque vim ſiquis altiùs inſpexerit, facilè videbit illa, haud tamen numerabit copiâ obrutus commoda, quæ notantibus promittuntur. Quid enim honeſtum, ſanctúmve, quò

quo ipſi non utuntur? In uſu eorum ſunt Virginum lilia, Martyrum trophea, Apoſtolorum certamina, idque toties, quoties legunt, lecta, excerpunt, aut excerpta revolvunt. Et hæc ſtudia, præcipuè ſi ſint conſtanti conſuetudine firma, quodam virtutis melle condita, atque inſigni prudentiâ firmata boni Cœlites aſpicient otioſo obtutu? Hoc non ſinet eos amor, quo in ſuos cultores ardeſcunt, ſed potiùs quæ tu chartæ, illi animæ tuæ imprimenr, ut quorum imagines inſcripſiſti papyro, eorum vitam circumferas in moribus. Quid dicamus de divina Cœleſtis ſapientiæ Matre, ſi ipſi velut à manu, & tabulis fueris? ſi ipſam nunc ſcripſeris in conceptu immaculatam, in partu virgineam, in vita meritorum cumulo omnibus ditiorem, in cœlo gloriâ ſum̃is angelis ſuperiorem; profectò notabit te illa candido calculo, & filiorum ſuorum albo accenſebit, curabítque, ne te ulla unquam animi labes tam beato ſyllabo expungat.

Verùm enimverò, ut ſtudio notarum laudem conciliemus, opus haud eſt in cœlos uſque penetrare: hanc etiam, quam in terris degimus, vitam red- *61 Colloquiorum utilium*

dunt

dunt glorioſam. Et licet gloriam notandô non quæramus, gloria tamen ſequetur notantes. Glorioſum eſt, ſi ſcias de ſacris inter ſacros, de litteris inter litteratos ſermone diſcurrere, illorum præſtantiam, harum fructus liberali, non coacto uſu, ſed velut otio tractare: diſcurres, & tractabis, ſi notes. Sola mihi ſacra colloquia, quæ potiſſimùm fæcundo calamô concipiuntur, conſtanti naſcuntur, & ſedulô nutriuntur, conſidera. Quid non laude dignum dices, cùm modò velut in ſcenam adducuntur Virginum candidiſſima ſtudia, Martyrum certamina, cæterorúmque Sanctorum in ærumnis ininfracti, in litteris ſeduli, in virtutibus continui labores. Quid non æſtimabis? cùm modò præteriti temporis farrago adducitur, inſpiciuntur annorum fortunæ? conſiderantur Tyranni, eventilantur caſus, timentur ſupplicia, beneficia diliguntur. Quid non magnum reputabis? cùm modò licuerit audire virtutum indolem, gradus, exempla, rationem, quâ pullulant in incipientibus, creſcunt in proficientibus, inperfectis conſumantur? Quid dicemus de varia illa admiranda, &

in-

inſolenti metamorphoſi, quam per
ſingulas ſæculorum ſeries ſacra indux-
erunt colloquia? tygrides in agnos,
vultures in columbas, monſtra in ho-
mines converterunt. O quot San-
ctos (Sanctorum veriùs myriades
dixerim) ſolus ſacris colloquiis or-
do Benedictinus debet! hæc è ſolio
Reges, ex aulis principes, ex Lycæis
doctores in anguſtam cellam traxe-
runt: his diſcuntur, queis regere
poſſis, & regi velis, documenta: ho-
rum ratione totius vitæ negotia, ſi
componi dixero, nil per auxeſin af-
firmo. Nam ut cætera commoda 62
taceam, mutuô, ſacri ſermonis com-
merciô peſtis illa reipublicæ Chriſti-
anæ omnis, potiſſimùm tamen reli-
gioſæ, nefanda linguæ loquacitas eli-
minatur. Ubi ſacra audiuntur col-
loquia, ruit peſſima inter pares ami-
citia, emoritur pruritus audiendi
rumores ſæculi: emarceſcit libido in-
quirendi vana; contumeliæ, queis nil
nefaſtius; murmura, queis nil iniqui-
us; litigia queis nil peius; & om-
nes reliquæ impii oris labes diſſipan-
tur. Tolle jam è medio ſtudium
notandi, quàm timeo, ne bonis illis
omnibus janua occludatur, & malis
iſtis

iſtis omnibus aperiatur! ſine notis materiem ſermonis emendicamus à ſenſibus, rumoribus, & inutilibus novellarum fucis: bella trahuntur in clauſtra, certatur ore pro reculis, quæ contemptum, non verbum merentur. Unde non facilè colores invenero depingendæ illorum gloriæ, & decori, qui tantis ſe ludibriis ineruditæ, & vanæ linguæ fortiter expediunt, qui legunt facienda, legenda notant, notanda ſuo, ſodaliúmque commodo nunc ad relaxandum, nunc ad occupandum, nunc ad inneſcandum animum ſciunt referre. His calamus erit gladius, quo ſe ab ignorantiâ vindicent, his erit rerum memoria clypeus, quo propellant oblivionem; his erunt notæ regia via, qua ad omnis, veri, honeſtíque faſtigium enitantur. Hi, cùm ſedent, eunt, quò tot illuſtres viri præceſſerunt; cùm ſcribunt, pingunt animi ſui ad magna ſerii, à vanis liberi, pro bonis indefeſſi vivam imaginem in chartâ, ceu tabellâ cujus aſpectu pigri ſuam ſocordiam, illiterati ſuam inſcitiam, ſui, & temporis dilapidatores miſeram multorum annorum prodigalitatem diſcent execrari. In hac im-

imagine legent boni quique, quod ſuſpiciant, colant, & imitentur. Euſebi placet tantum artis opus? cape calamum; penicillus eſt; atramentum: color eſt; animum: tabula eſt, & auſerim polliceri, pinges imaginem, quod in templo gloriæ locum, & laudem mereatur.

CAPUT VII.

Ars Memoriæ facili Minervâ diſcitur.

63

EUſebius. Multa quidem ſunt, quæ ſui utilitate alliciunt, jucunditate trahunt, & neceſſitate compellunt; verumtamen arduis, quibus obſepiuntur ſpinis, abſterrent ab amplexu, & amorem morantur, aut extinquunt. Quot nominis cupidos pellexit bellô parata gloria? ſed campô avocant vulnera. Itur ab avaro mille votis per irati maris procellas, ut alterius orbis opes advehat; ſed vota hebetant, audaciam frangunt naufragia. Pleroſque capit ingens litterarum exiſtimatio, noctes tamen, quæ pervigilandæ; dies & anni, qui impendendi, ut iis ingenium excolatur, ani-

Eſt facilis à

animos à ſtudiis avertunt. Ita quoque cùm commoda, delitias, & cætera monumenta, quæ hactenus attuliſti, diſpicio, ambabus manibus Artem Memoriæ amplector. Attamen ne ullam animi mei partem celem, ſine fuco fateor, me terreri multitudine regularum, ſcientiarum vaſtitate, temporis anguſtiis, ac potiſſimùm laboribus, qui ſcribendo ſunt ſubeundi. Quippe cùm videam res tam varias, naturâ diſſidentes, ſitu disjunctas, effectibus fæcundas notandas eſſe, facilè mihi videor intueri, his omnibus in ſuas claſſes diſpenſandis multas, & ſcitu difficiles leges eſſe ſanciendas, Una ſcientia inſtar vaſti maris diffunditur, cur igitur non grandes difficultates metuam calamo, quô non unam, ſed plures in chartam, velut anguſtam foſſam derivem? Et verò ſi his arduis obſtaculis perfringendis non deforet animus, & robur, ánne tempus aderit variis curis diſtento? Leve quidem inſtrumentum eſt calamus, ſine tamen labore non ducitur: ſedendum eſt, abſtinendum publico, manus, oculi, caput omne impendendum, ut bene, ut conſtanter, ut utiliter ſcribatur; hæc autem

tem fere omnia potior hominum pars fugit, ceu valetudini minus congrua, aut etiam nociva. *Eubulus*. Non inficiàs ivero Euſebi ardua quædam excerpturo ferenda eſſe, quædam etiam ſuperanda, illô tamen robore animi, quô aliàs litteræ tractari volunt, hæc omnia fortiter feres, aut feliciter ſuperabis. Non quærendæ ſunt ſcientiæ, ſicut lolia, quæ ſine culturâ naſcuntur; ſed ſicut frugiferæ arbores, quæ multorum annorum labore ſunt rigandæ. Hoc ipſum litteris laudi, & litteratis gloriæ conferendum eſt, quòd, licet tot arduæ rupes ſuperandæ ſint in diſcendo, hi tamen inveſtigent, & illæ inveſtigentur. In viſcera terræ penetrandum eſt, ut legatur aurum: ignobile ſaxum trivia ferunt; abjicit pretioſa, qui detrectat ardua: pretium rebus conciliat labor, nec meretur amorem, quod ſine labore comparatur. Verumtamen ſi ſtudium notandi iis oculis, qui litterarum amantes decent, intuemur, affirmare non timeo, id iisdem rebus reddi facillimum, quibus longè difficillimum effici videbatur. Id verò quàm probè à me dicatur, argumenta, quibus ducor auſcultato.

 Rivu-

64 materia notandorum.

Rivulus, cùm ſe ſe inter alvei ſui fines continet, ſuavi murmure, & illimi vado aquas duntaxat ſuas vehit, contigua prata rigat, & fœcundat. At ubi nativas indignatus anguſtias nimborum admittit ſocietatem, turbidus fertur, ac magno ſtrepitu aquarum lutum trahit; ſemitam non ſuam ingreſſus ægrè per obſtantia ſaxa, & rupes eluctatur; cúmque aquarum ſuperbiâ intumeſcit, diffluit, & ſe, aut certè decorem ſui amittit. Ita quoque flumen humani ingenii cùm ſe patitur limitibus ſuis circumſcribi, ſuaviſſima quiete fertur, animum varia ſcientiâ imbuit, & adauget. Da verò illud effrænatis ſciendi deſideriis extra fines ſuos rapi, nunc Rhetorum turbine, nunc Philoſophorum impetu, nunc aliarum artium vario nimbo miſceri; tunc enim verò, cùm fluit, diffluit, dediſcítque diſcendo.

Una ſcientia res magna eſt, & facit magnos. Nimis avarus eſt, qui unius theſaurô aut non vult, aut non poteſt diteſcere. Quisquis excellit in una, laudem meretur à cæteris. Unam ut ſponſam ama; & cæteras cognatas habes. Et verò ſi poſſem omnibus potiri, nollem; cùm poſſim

unâ

unâ prodeſſe tantùm, quantùm omnibus. Suſtuliſti reipublicæ pulchritudinem, ſi ſutorem, & ſartorem, & fabrum, & pictorem, & ſtatuarium velis eſſe unum, & quemlibet civem. Quemque ſua delectant, quemque ſua commendant. Caret omnium laude, qui omnibus inhiat. Danda hæc eſt ſoli Deo prærogativa ſingularis eminere in omnibus: nobis ſol imitandus eſt, qui luce non voce philomelam ſuperat; & tamen ſol eſt, princeps ſiderum, oculus mundi, temporum decor, & hæc omnia nomina, & has omnium nominum laudes unica luce ſol promeretur. Licet igitur Eloquentiâ excellere, hiſtoriâ florere, Philoſophiâ fulgere, Theologia eminere, unus ſimul in omnibus non poſſis, poteris tamen unus in una aut Eloquentiâ, aut hiſtoriâ, aut Philoſophiâ, aut Theologiâ præſtare, inſigni fructu laborare, & in rempublicam litterariam emolumentum ingens conferre. Si res ita habet Euſebi, quis artem memoriæ difficilem proclamabit? Una ſcientia quærenda eſt ſtudiô, una calamô, quid facilius? Qui ſe mole rerum obruit,

mente, ut ſapiat; non arte, ut diſcat, juvandus eſt. Sit proin, qui uni ſcientiæ comparandæ pervigili ſtudiô collaboret, & næ, quid arduum, quid difficile, quid operoſum timeri, ſuperari, & vinci debeat, ignorabit. An timebit vaſtitatem materiæ? exhauriet: an difficultates ſcientiæ? debellabit: an temporis anguſtias? devincet. Quid quòd, quæ aliis timenda eſt vaſtitas, notarum ſtudioſo in lucro reponitur, eam redigit in compendium; difficultates, quæ alios terrent, viam aperiunt expeditam notanti, eas uſu, calamóque; enodat; temporis anguſtiæ, queis alii ſtringuntur, excerpentem locupletant: minimam horæ portionem in litterarium quæſtum trahit, diem nullam ſine linea dilabi patitur, ſibi, ſuæque ſcientiæ invigilat, eam tractat ceu grande negotium à ſuperno Numine impoſitum, ut illud ritè obeundô proſit ſibi ad ſalutem, Eccleſiæ ad ornatum, vitæ propriæ ſtatui ad decorem, omnibus ad emolumentum. Quantam verò dulcedinem ſcientia quæque, ſi ea ratione colatur, propinet, norunt ii, qui gu-

guſtârunt, guſtabunt nunquam, qui ab una ſaliunt ad aliam.

Hi námque litteras amant, ut va- 65
gæ libidini litent, non ut veritatem, quam quævis ſcientia monſtrat, inveſtigent: hi proſtituunt Muſas, non colunt, ſed cogunt infamiam ſubire, quam nulla tulerit opificum tribus: cui ſe quisque ſemel addixit arti, eam amore, linguâ, & uſu complectitur. At tam fauſtâ fortunâ frequenter non utuntur litteræ: nunc placet hiſtoria, & vagamur per ætatum eventus, nunc Jurisprudentia, & diſcutimus leges: nunc Geometria, & dimetimur orbem. Sed cùm nec temporum eventa, nec legum vim, nec orbis magnitudinem magno illo, quem, ſcientia poſtulat, ſed quem curioſitas expoſcit, ſenſu tractemus, diſplicet his rebus diutiùs immorari, & transferimus animos ad Ariſtotelem, in adyta SS. Patrum penetramus, ſcientias omnes ſollicitamus, omnibus hoſpitium, nulli animum præbemus. *Euſebius*. Veriſſima loqueris. Sed qua tandem arte ſcientias maximum humanæ naturæ decus, tantâ ignominiâ liberabimus? *Eubulus* illâ, quâ notandi ſtudium reddideris facil-

limum. Unam conſtanti calamo excole, uni ingenium, uni animum, uni manum conſecra, & quidquid arduum cogitari poteſt, evaneſcet. Calamô tibi facillimus patebit aditus in intimos quosque ſcientiæ tuæ receſſus; modò miraberis naturam, modò extolles proprietates, modò fructus guſtabis. Quàm facili autem promptóque animô aſſervemus, quod ob ſui magnitudinem miramur, ob ſui præſtantiam extollimus, ob ſui dulcedinem guſtamus, intelligunt omnes, qui naturam, & amoris vim norunt penetrare. Neſcit ardua verus amor, ſolus non laborat; cùm impellitur, augetur. Unde cum notæ quotidie novam amoris materiem ſubrogent, quidquid ſibi difficile occurrerit, inſtar ignis in ſui nutrimentum trahit. Fingamus igitur arduum eſſe continui, ſeduli, & ad tractandos memoriæ labores expediti calami negotium; facilè reddet illud mel, quod calamô ex quavis petra elicimus; illa pulchritudo, quam quotidie oculis animi obiicimus; illa opulentia, quam perpetuò congerimus, & ex his omnibus ille amor, quem ſcientia quæque integrè poſſeſſa ſuccendit.

Si

Si dederis igitur hominem, qui tam pleno animi ſui dominio potiatur, ut amorem ſuum ſeriis litterarum illiciis ad eum modum addicere velit, neſcio, quid in Arte Memoriæ difficile, arduúmque poſſit timeri. Solas nunc, quibus ſtudium notandi inſtituitur, regulas inſpiciamus, & næ arduæ illæ rupes, quæ calamum morari poſſent, tollentur. Perſpicuæ ſunt: nullô negotiô diſcuntur; qui legit, capit: obſcuris lucem afferunt, implexis ordinem, obſoletis decorem. Utiles ſunt: calamum ducunt compendiô, via tamen regiâ. Quæ quisquam alius integra foliorum farragine vix complexus fuerit, ea illarum ductu in unius faciei limites rediges. Quod alius longô multarum hebdomadarum labore perquàm ægrè legerit, id hæ regulæ ritè in uſum deductæ intra unius diei otium in memoriam reducent.

66 *Regulis* — *perſpicuis* — *utilibus*

Faciles ſunt, ſi naturam; paucæ, ſi numerum; claræ, ſi modum reſpicimus. Omnes metrô ligatæ in facillimum uſum ultro ſe offerunt. Sæpe una integris rerum myriadibus leges dictat, quô modô, in quem locum, ad quem finem unumquodque

facilibus

 ſeu

ſeu prodigium naturæ, ſeu ſcientiæ
arcanum, ſeu facinus memoriâ dig-
generalibus num ſit redigendum. Nec unam
tantùm ſcientiam complectuntur,
ſed ſingulas, omnes, univerſas. Su-
pera conſcende, infera ſubi, vaſta nu-
mera, obſcura cogita; & ſingulis an-
notandis expeditam methodum ſub-
accomodatis cuivis miniſtrabunt. Accenſe his mo-
mentis longè majora, tam quæ tem-
pus, vitæ cujusque ſtatus, ſcientiæ
67 cujusque finis, quàm ipſa ſtudiorum
tempori ratio ſubminiſtrat. Ac quidem,
quod ad tempus attinet, dico nul-
lum tibi fore tam anguſtum, quod
regularum uſu non queas in tuas o-
pes convertere. Quantum, quan-
tóve fructu intra unius anni otium
excerpere liceat, ſi quâvis die unicum
quadrantis ſemiſſem calami negotio
dederis, affirmare non auderem, ni-
ſi experientiâ didiciſſem. Sine heb-
domadam, ſine menſem, ſine annum
dilabi, & numerabis ex tantilli tem-
poris lucro, nullo fere labore, ſed ex
dulci otio ſexaginta quinque ſupra
trecenta variæ eruditionis monumen-
ta. Is tantus Theſaurus ampliabit de-
ſideria, permovebit animum, ut an-
no ſequenti quavis die quadrantem
ca-

calamo ſequeſtres. Recenſe jam biennii tui opes: quò ſe exporrigent, ſi copiam, fructum, gaudium penſiculatiùs conſiderare non piget! Et quid? ſi latiùs extendas ſtudia tua, & quotidie calamo (id magnopere conſultum velim) integram horam, dimidiam matutino, dimidiam pomeridiano tempore velles conſecrare? an non opum tuarum pretium, & magnitudo laborem ſtudii longis paraſangis ſuperabunt?

Præterea Regulæ iſtæ quantùm tempori, tantùm ſerviunt cujuslibet hominis ſtatui. Earum probo uſu non minus ſibi parabit Jurisprudentiæ aſſecla leges, quàm Rhetorices ſtudioſus Locos. Cuivis litterarum amanti viam aperiunt eâdem ferme ſemper clave. Eædem leges dirigunt Theologum, cùm Chriſtianæ fidei myſteria cupit ingredi: quæ ducunt Rhetorem, cùm vult eloqui. *68 ſtatui*

Nec inveneris ſortem hominum calamo addicentium ſua ſtudia, cui non eodem, ut aiunt digito, viam regiam commonſtrent. Qui novit leges excerpendi ex Hiſtoria, jam ſcit etiam illas, quibus excerpuntur Philoſophiæ arcana. Philoſopho, & Theologo,

Rhetori, & Poëtæ eodem ritu ſerviunt; nec cùm dirigunt ſeveriores diſciplinas ſeveriorem ſui uſum habent, ſemper faciles, ſemper ad omne exercitium expeditæ.

69 fini ſcientiæ. Si jam gradum facimus ad finem ſcientiarum, regulæ notandi illô nil potiùs habent. Finis cujusvis ſcientiæ eſt cultura ingenii, ex quo ceu fertili agro protuberat varia rerum honeſtarum notitia; hæc progignit morum pulchritudinem, cui ſuccedit quædam ſuæ, alienæque ſalutis ſitis, quæ ipſo uſu eò magis ſuccenditur, quò puriori affectu litterarum aquæ ex ſcientiæ fontibus hauriuntur. Ac in hunc ſcopum Leges notandi collimare, malo infra ſubjicere oculis, quàm hîc verbis exhibere. *rationi ſtudendi,* Demum hæ leges rationem ſtudendi reddunt perfacilem: deſcribunt inprimis ſcientiæ naturam, explicant cauſas, proferunt effectus, demonſtrant indolem, indigitant fines; atque hæc omnia ſine confuſione, ſuis in locis memoriæ aditu facillimis pulcherrimo ordine repræſentant.

70 uſui ſcientiarum At eſto amarus Regularum labor. Abſorbebit omne abſinthium dulciſſimus ſcientiæ uſus, qui ex ipſis dimanat.

manat. Quippe ſi leges iſtas examuſsim obſervaveris, perpetua exercitatione, ſine qua omnis res litteraria jacet, doctrinæ tuæ quotidiana incrementa adjicies. Exercitatio pariet habitum, habitus conſuetudinem, & conſuetudo ingenuæ mentis dulciſſimam voluptatem. Atque ſic ex otio tuo multorum annorum fructus metes; diſces excerpendô paulatim quandam hiſtoriam delineare, delineando fabricare, & ſæpe fabricando tandem ingentem hiſtoriarum fabricam educere, diſterminare in partes, extollere in figuras, diſtinquere in ſententias, & in reliquum ornatum ad Curtii, Cæſaris, alteriúsve hiſtorici principis leges ampliare. Eadem felicitate uſurpare tibi licebit quamvis aliam ſcientiam; cùm excerpis, exercitabis, ac uno tam ſuavis laboris impendiô intellectum doctrinâ, & memoriam variarum rerum notitiâ locupletabis. Et ad has mentis opes parandas ponuntur facillimæ leges; quies animi, nulla dies ſine linea, ſyncerus proficiendi affectus, excerpendi ſtudium, & excerptorum uſus has omnes tibi hactenus propoſitas divitias parabunt.

Animum ergo, calamúmque ſume Euſebi, & faxint boni Superi, poſt modicum paucorum menſium laborem poteris tibi magnam harum opum partem gratulari. *Euſebius.* Etſi ligone gravior foret calamus, ac ingenium meum velut ſterile ſolum integris annis colendum foret, nullus tamen labor enervabit ſtudia mea; imperabo animo meo malaciam, nullum diem mihi ſine calami cenſu ſurripi patiar, emaculabo mentem faſtu, ac libidine ſciendi, & ſcientiam ut quandam cœleſtium bonorum portionem quæram; legendi, ſcribendíque ſtudio vitam meam conſecrabo, ſi tuis in me beneficiis, velut in cumulum adjeceris amuſſim, ad quam dehinc ſcribendi ratio mihi erit caſtiganda.

PARS II.

De Regulis excerpendi.

EUbulus. Libens annuo votis tuis: ſpem námque alo eò majoris doctrinæ, quò major tua eſt diſcendi fames: huic tot epulas fero, quot regulas pono.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit Ars Memoriæ?

EUbulus. Si ad Dialecticas leges Artem Memoriæ conſideraveris, dices habitum, qui inclinat hominem rei litterariæ addictum, ut quæque illi ſcientiæ, cui ſe ſpeciali ſtudiô conſecrat, apta in certos locos, ſúbque certis regulis memoriæ juvandæ causâ digerat. 71 *Definitur.*

Atque eum habitum, ſeu rationem notandi à materia dicimus aliam, *Vagantium*, aliam *Fixorum.* *Dividitur à materia, in Vagantium,*

Ra-

Ratio notandi vagantia docet id omne in unum locum, ſeu titulum convehere, quod per integram aliquam E. g. inveniendi, medelæ &c. lineam diffunditur. *Fixorum* Ratio notandi fixa conjungit ea ſolùm in uno titulo, quæ ex indita rerum natura ſunt connexa, veluti effectus cum cauſis, aut proprietates cum eſſentia copulantur. Hæc tenebris obſcuriora ſunt. Sed lucem illico ferent, quæ c. 2. de Titulis Vagis dicturi ſumus. *formâ: in*

Si modum, quô quæque ſunt excerpenda, attendimus, alia ratio notandi dicitur *Brevis*, alia *Brevior*, alia *Breviſſima*, & demum alia *pura citatio*. *Brevem,* *Brevis* excerpit rem doctrinalem ex libro cum omnibus circumſtantiis, modô tamen, quo licet breviſſimo. *Breviorem.* In *Breviori* attendimus ad ſolam ſubſtantiam, & ſubſtantiæ connexa; ſicq́ue cæteris omnibus ommiſſis annotamus ſolum nucleum rerum. *Breviſſimum* *Breviſſimum* obſervas, ſi ſolum prædicatum, & ſubiectum cum ſua copula excerpit, ac ferme incidit cum citatione. *Puram citationem* *Pura citatio* eſt, ſiqua res ex unô, aut pluribus titulis transfertur ad alium. Hæc omnia ſub

ſub verborum involucris clauſa aperientur ſequenti exemplo.

Cùm Lutherus Deo, & Eccleſiæ bellum moveret, virtus magna Europæ parte, ac integris regnis proſcribebatur. Tam infauſtum diſcrimen ſubiit quoque Anglia, olim non tam Anglorum inſula, quàm Angelorum patria. Everſis orthodoxis ſacris impia colluvies per totam Britanniam graſſata ſanam religionem paſſim exilii damnavit. Non tulerunt ſacrilegam tyrannidem Chriſtiani Athletæ, ſed in fidei hoſtes ora, & calamos ſtrinxerunt. Magnam ex his nominibus laudem Hiberniæ debemus etiam fuſo ſanquine non ſine prodigioſis eventibus irrigatæ. Annus à partu virgineo agebatur ſeptuageſimus octavus ſupra milleſimum quingenteſimum, cum irrupit heterodoxa militum manus in Magienſe cænobium furias omnes, & militarem licentiam in ſacros parietes effuſura. Religioſi aſcetæ in eo rerum articulo deprehenſi ad ſolita confugiunt arma, atque in templo coram Euchariſtico DEO procubui ſe ſe fortiter ad obeundam pro fide mortem cohortantur. Interea effractis ſeris, & foribus irruunt in clauſtrum mi-

milites, cohortantium ſecuti vocem ad ſacra úsque adyta penetrarunt. Nil loci, aut virorum religionem veriti quemque ſuo, quo procuberant loco, decollarunt. Aberat tunc temporis promus condus (cellerarium vocamus) rei œconomicæ cauſâ. Eadem die confectô negotiô regreſſus, cùm neminem ſodalium in clauſtro, multa verò ſúsque déque verſa conſpiceret, cohorruit. Crevit horror cùm ſe ſe immania hæreticæ crudelitatis veſtigia oculis undique obijicerent.

Cum ſuperis ergo communicaturus conſilia ſuſpenſo greſſu templum adiit. Cùm ecce tibi! novo flagellatur ſpectaculo: videt quadraginta fratres cum abbate ſuo in ſanquine decuſſis capitibus exanimes.

Tam horrida ſcena lachrymas ex oculis, & altos ex pectore gemitus, prolicuit. Tum ſingula corpora venerabund9 obiit, oſculo, & amplexu honoravit. Cúmque aliquamdiu eum in modum affectui indulſiſſet, memoriam ſubiit pridiana Aſſumptæ Deiparæ religio. Tum enim verò iminentis diei olim tanta ceremoniâ peracti memoria novos luctus civit. Noſti inquit hu-

humi fuſus Deiparam alloquens: Magna Domina! quantis ſtudiis hi tibi (fratrum funera indigitat) in domo iſta ſervierint! cur ergo ſinis, ut tam illuſtris dies ſine conſueto tuæ Aſſumptionis ritu tranſeat? oſtende Domina haud tibi diſplicuiſſe noſtra obſequia, & Magiam tuam cœleſti tuo triumpho non exclude. Cùm hæc & his ſimilia perorat ſubitò campanæ nulla hominum admota manu concinere, Martyres moveri, ſuum quisque caput tollere, collo imponere, ſurgere, ſedem quisque ſuam adire, ac præcinente abbate parthenias pro more vesperas inchoare. Concinentium harmonia cœleſtem quandam, & angelicam muſicam referebat. Maxima erat aurium voluptas, nec minor oculorum. Quivis capite coronâ redimitus, manu palmam præferebat, ac toto ore lætitiam ſpirabat. Soluto choro ſinguli priorem locum adiére, ac depoſito capite humi procubuerunt, ut etiam poſt funera monſtrarent ſe ſic cadendô ad Martyrum triumphos, & faſtigia conſcendiſſe. Hic caſus per Hiberniam frequenti hominum ſermone celebratus, multos è lapſu erexit, & nu-

H tan-

tantes in fide firmavit. Adeo virtus, omni caſu ſublimior cùm premitur, erigitur. In Bened. Rediv. an. cit. Gabriel. Buc.

Habes hìc Euſebi recens & egregium Benedictinæ monumentum, jámq; id juxta omnes quatuor modos excerpamus. Dein ex quovis facilè regulas communes educere licebit. Modo itaque Brevi ita effertur hiſtoria.

73 Excerpere ſubſtantiam cum circumſtantiis omnibus per regulas quatuor.

An. 1578. 14. Aug. 40 Monachi cum ſuo abbate in Magienſi Hiberniæ monaſterio propter fidem in Eccleſia ab hæreticis abſente cellerario 1. decollantur. Is redux viſis funeribus dolet fore jam aſſumptæ Virginis feſtum ſine cultu: 2. ſubito conſonantibus campanis mortui capite coronâ, & manibus palmâ conſpicuis ſurgunt, & veſperas canunt; Quibus finitis priorem & locum, & ſomnum repetunt. 3. Res multos 4. firmat in fide.

Ex hac hiſtoria elicimus has leges. 1. omnia verba à notante debent efferri in præſenti. 2. omittuntur cauſales particulæ, *velut, igitur, quapropter* &c. & eorum loco ponuntur

tur duo puncta. 3. omnis ornatus hiſtoricus auffertur, aut aliæ quæque amplificationes. 4. Brevitas eſt maxima notandi virtus. hæc tamen non officiat veritati, ſitque obſcuritate, & errore eximia.

His legibus ſervatis pari felicitate notabis quamvis veritatem ex Theologia, Philoſophia, aut alia ſcientia. Exemplum eſto hæc propoſitio. Dantur Angeli. Theologia eam ad hunc modum effert. Deus condidit univerſum perfectum; ſed univerſi perfectio exigit, ut in eo ſint creaturæ purè intellectuales, & has vocamus Angelos: ergo dantur Angeli. M. patet. Deut. 32. 4. ubi dicitur: DEI perfecta ſunt opera. *m.* probatur: perfectio effectûs conſiſtit in aſſimilatione ad cauſam & quidem in ea ratione, ſecundum quam cauſa eſt; ſed DEUS eſt cauſa univerſi purè intellectualis; ergo requirit univerſum ut ſecundum quaſdam partes aſſimiletur intellectualitati Divinæ. ſubſummo: ſed aſſimilatur DEO, ſi admittimus angelos: ergo dantur.

Tam prolixum diſcurſum formant Theologi: jam velis eum in rem tuam deducere, exuis omni circuitu,

& dicis : univerſum utpote effectus DEI debet quoad aliquam partem aſſimilari intellectualitati divinæ ; ergò datur creatura purè intellectualis.

74 *connexaque ſubſtantia per*

Quod verò attinet *Breviorem*, ita efferes noſtram hiſtoriam.

An. 1578. 14. Aug. decollati ab hæreticis. 40 monachi cum abbate, 1. reviviſcunt, 2. & veſperas canunt Aſſumptæ virg.

leges duas

Jam iterum Regulas eliciamus. 1. Eæ circumſtantiæ omittantur. quæ faciliùs memoriæ occurrunt, uti hìc decuſſa capita imponere collo. 2. nihil omittatur, quod exaggerat, aut rebus emphaſin confert.

ſolam ſub

Jam modum *Breviſſimum* obſervas, ſi ita ſcribis factum. Decollati 40. Monachi canunt veſperas.

normâ geminâ.

Leges ſunto. 1. Notentur ſolùm prædicatum, & ſubjectum cum ſua copulâ. 2. eligantur ea prædicata, quæ cujusdam facti ſubſtantiam, quantùm fieri poteſt, nervoſè ſignificant.

75 *aliquid ſubſtantiæ, aut circumſtantiæ per*

Tandem *Pura Citatione* dictum facinus effers, ſi ab uno titulo citas ad alium, & quidem illum, qui hoc vel ſimili facto illuſtratur. v. g. habes

bes in Tit. *Pſalmodia* hunc ſubalternum; *Eſt meritoria.* Subjice Titulum, cui facinus iſtud inſcripſiſti. Verùm hæc faciliùs capies, ſi de Titulô Subalterno diſſerentem audieris! moras igitur properanti dona; interim pro Pura Citatione has leges cuſtodi. 1. Facinus cognatum pluribus titulis uni annota, ad cæteros cita. 2. citatione pura eſt abſtinendum, donec opes litterariæ tuæ creſcant, & in titulo tam citato, quàm citante numeres ſaltem triginta Subalternos. 3. non multiplicentur Subalterni ſine cauſa, ne deficiat puris Citationibus ſpatium in margine. 4. prodit ex tertia: margines chartæ ita formentur, ut ſe ad minimum in latitudinem hujus ſigni ———————— diducant. Vide c. 11. hujus partis. *leges quatuor*

Euſebius. Hæc implexa ſunt; ante quam mihi tamen nodũ evolvas, edic, unóne præ altero modô excerpendũ? *Eubulus*. Omnino unus alteri præferri debet: qui tamen alteri ſit præferendus, ratio, & praxis docebunt. E meo conſilio is illa excerpet modo *Brevi*, quæ fini ſtudiorum ſunt valde cognata, veluti ſunt illuſtria facinora ſtudio hiſtoriæ. Nam ſic hiſtoricus per otium

 diſcet

diſcet geſta temporum graviter efferre. Modum *Breviſſimum* ſuaſero, ſi excerpis ex his libris, qui perpetuo ad manus, & uſum eſſe poſſunt; aut ſi argumenta notanda ſunt ex S. Bibliis deſumpta. Exemplum eſto hæc propoſitio.

Chriſtus conſpuitur. Id probatur tribus textibus, quos ſic referes. Marc. 14. 65. Matth. 26. 67. Iſ. 50. 6. In primo textu invenies: *& cæperunt quidam conſpuere eum.* In ſecundo: *Tunc expuerunt in faciem ejus.* In tertiô demum: *Faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*

Atque hæc excerpendi ratio non ſolùm ad compendium, & temporis parſimoniam opem, ſed etiam ad illuſtrandam, quam tractamus theſin, multum lucis confert. Nam verba, quæ textum citatum antecedunt, aut ſubſequuntur, ſæpe novam inſignibus argumentis materiam ſuppeditant. e. g. Si cites ad hunc Subalternum. *Obſervatio legis divinæ eſt meritoria.* ℣. 9. 23. Joſ. habet ſolùm argumentum à Conſequentibus, nempe hoc: *Cultum legis divinæ conſequitur pax.* At lege etiam ℣. 8. 7. 6.

aut

aut conſequentes 10. 11. &c. & illuſtrandæ tuæ theſi ex variis Locis egregia argumenta coacervabis. De Theſi dicemus p. 3. n. 197. & 399.

CAPUT II.

Quid, & quotuplex ſit Titulus?

EUbulus. Multùm quidem fecit Euſebi, qui ſciéntiarum arcana didicit in compendium cogere; non tamen confecit negotium, niſi etiam, quæ excerpta ſunt, poſſit promptè, & facilè invenire. Cúmque id beneficio titulorum præſtandum ſit, de iis nobis jam cura, & labor erit. Titulos autem dicimus locos, ſeu canales illos liberales, ex quibus ea omnia, quæ intellectu percepimus, ad memoriam derivamus. Cùm igitur intellectus primò genera, dein ſpecies, ſubalterna, individua, & infima attingat, curandum quoque erit, ut memoriæ, quæ ſimia intellectûs dicitur, primò Titulos Genericos, deinde Specificos, ſubalternos, infimóſque fabricemus.

96 *Fabricare titulos.*

77 *Genericum ſub regulis tribus.* Genericus itaque eſt ſupremum quoddam genus ; veluti Animal, Elementum &c. Ut autem nomen prærogativâ Generici gaudeat, ſit 1. univocum, hoc eſt polleat determinata ſignificatione, ſitque emunctum à metaphoris, & allegoriis. 2. polleat ampla, & opulenta materiâ, quæ in varias ſpecies, proprietates, effectus dividatur : uti eſt Elementum : dividitur enim in terram, aquam, aërem, & ignem ; illa in montes, valles ; Europam, Affricam &c. ; iſta in flumina, maria, rorem : hic in ventos, iſte in incendia, & alia plurima, ut patet conſideranti. 3. per regulas c. ſequenti de Subalternis dandas ad alium Titulum non trahatur, ſic numero Generum excluditur *Homo* licet ſit univocum ; Virtus etſi habeat amplam materiem : nam per regulam; *omne genus ſpeciem poſcit*, *Homo* ad *Animal*, & Virtus ad Habitum ſpectat.

ſchemate iſto Nomen, cui debemus excellentiam Generici, ſcribitur ad initium quartæ partis complicati quaternionis dodantrali (a) charactere, hoc modo A N I M A L. Inde quævis folii facies ſignatur competenti numerô,

rô, prima primô, ſecunda ſecundô, & ſic deinceps. Si jam primum quaternionem excerptis compleveris, ſubrogas ſecundum, ſecundo tertium, & ſic pergis ad ſecuturos. Ut autem ſcias, ad quemnam titulum ſpectent quaterniones ſequentes, cuivis ad minorem marginem adnotas Genericum ex latere adverſo, hoc 1. modò, quem tibi numerus iſte oſtendit. Vide Schema 1. c. 13.

1 Animal

Titulum Specificum non efficit illa ratio differentiæ, de qua multum negotium Philoſophis, ſed ratio finis, quem excerpturus ſibi prudenter præfigit. Unde ſi Philoſophus cupiat noſſe totam naturam terminorum, erit ipſi *Terminus Specificus.* Ex eadem ratione *Virtus* Religioſo, *Peccatum* Concionatori, & ea omnia tibi Specifici rationem habebunt, quorum ſingularem notitiam finis ſtudiorum perſuadet. 78 *Specificum.*

Specificus alius eſt *Permanens*, alius *Tranſiens.* Hic exprimit finem à notante præfixum unico vocabulo. Uti *Peccatum. Virtus. Permanens* exprimit finem *Tranſeuntem. Permanentem*

nem duplici vocabulo: Generis, & ſpeciei; uti eſt *Virtus Theologica.* Utriusque differentiam admodum notes neceſſe eſt. *Tranſiens* ſervat regulas Generum, in quorum naturam tranſit. *Permanens* econtra præcedit quemvis Genericum, aut Specificum. Exemplum in hac propoſitione eſt: Angelus docet S. Franciſcam Romanam Virtutem Charitatis. *Angelus* eſt titulus, & *Virtus Charitatis.*

Quæris jam ad quemnam id beneficii debeas notare? Reſpondeo ad virtutem charitatis. Nam uti dicebam hæc eſt Specificus Permanens, ille Tranſiens, & hic abſorbetur ab illo, uti genus à ſpecie. Sic ergo ſcribi debet: Virtus charitatis docetur ab angelo. Si autem nolles, ut charitas foret tibi Permanens, ſed ſineres ceu genus vagari uno vocabulô *Charitas,* hæc Theſis pertineret ad Titulum angelus hoc modo. Angelus docet charitatem. Adi tabulam c. 10. & ſchema 4. cap. 13.

79 *regulis quinque*

Euſebius. Quænam ergo nomina habebunt mihi rationem *Permanentis*, quænam *Tranſeuntis? Eubulus.* 1. regula eſto. Quoties cupis ſingu-

ſingularem cum ſpecierum, tum generum notitiam. Eſto, qui cupiat notitiam peccati; *Peccatum* erit Titulus, ſi velit etiam ſpecierum ſub peccato comprehenſarum: *Avaritia*, *Superbia &c.* erit *Tranſiens.* Si autem velis exhaurire totam Superbiæ materiem, erit Permanens, & dodrantalibus litteris non amplius ſolum nomen *Superbia* exprimis, ſed addis genus: *Peccatum Superbiæ.* Unde rem hanc omnem ſic coordinamus. Qui e. g. de Superbia finem ſpecialem non habet, is referet illam ad titulum *Peccatum;* qui autem habet, illi erit ſuperbia Tranſiens, & non minus, quàm Peccatum dodrantalibus litteris ſcribetur; qui autem habet de ſuperbia finem prorſus ſingularem e. g. librum, quem de ipſa molitur, illi erit ſpecificus Permanens, & ſcribet. *Peccatum Superbiæ.* Hoc poſitô ſpectant, ad hunc titulum omnes pœnæ ſuperbiæ, omnes affectiones &c. cúmque omnibus titulis præcedat, omnia ad ipſum ſcribantur, de quibus in recto (nominativum dicimus) prædicatur. e. g. *Peccatum Superbiæ* punitur morte. 2. regula eſt. Specificus Permanens ſortitur duas quæſtio-

nes,

nes, Genericus unam: ille attendit ſuam ſpeciem reduplicativè, ut aiunt Philoſophi, hic ſolùm ſpecificativè. Sed de hoc redibit ſermo in Titulo Subalterno. c. 3. ſeq.

3. Rationem Specifici ſubire poteſt etiam Perſona, non tamen Generici, uti *Chriſtus*. B. V. Maria. Quòd ſi habeas de quodam Chriſti, aut B. V. myſteriô finem prorſus ſingularem, e. g. de Annuntiatione. *Annuntiatio B. V* erit titulus ſpecificus Permanens. Sit, qui ſingulari affectu amet S. Patriarcham Benedictum, ejúsque vitam moliatur. *S. Benedictus* habebit rationem Permanentis. Ex hac regula Divini Verbi præconi valde utiliter prodibunt iſti Permanentes. *Sanctus Diœceſanus*. *S. Sebaſtianus*, ſi vigeat in ejus templo hujus Divi ſodalitium. *Sanctus agricola*, ſi ruri ad concionem dicat. *Euſebius*. Si nolim e. g. ut *Sanctus Diœceſanus* ſit mihi Permanens, quò referenda erunt e. g. S. Udalrici geſta? *Eubulus*: ſingula ad ſuos Titulos, ejus animi demiſſio ad titulum *Humilitas*, & ſic deinceps.

4. Permanentes non debent multiplicari: cùm enim illi vorent omnia

omnia connexa, cæteri tituli emaciarentur, & commoda Permanentium per Chronologiam. ut infra videbis c. 4. reſarciri poſſunt.

5. Tituli ſpecifici tam Permanentes, quàm tranſeuntes ſervant naturam ſui Generici, aut ſpecifici, ex quo naſcuntur. Unde Si hi e. g. per cauſas incedunt (de quibus vide c. 7.) aut ſuos actus efferunt in infinitivo, utrumque etiam illi obſervant. Exemplum ſumamus de virtute Religionis, & Zelo animarum. Ad illam pertinet *Ceremonia*. ad hanc *converſio*. Si ergo ex utroque conficis ſpecificum, debebis ea, quæ facta ſunt amore ceremoniarum, & opus, quo facta eſt converſio efferre in infinitivo.

Sic igitur, qui, cùm blaſphemaret, fuerit converſus ad ordinem noſtrum. Si notare velis ad titulum *Converſio*. Blaſphemare ſub diviſo:

Ad ordinem S. Benedicti fit Subalternus. Similes tituli ſunt Concilium, Traditio, Oratio, Tentatio. Quæ propter tentationem facta ſunt, efferuntur in infinitivo tam activè, quam paſſivè, prout ſen-

ſus

ſus exigit. Atque id exigit Fortitudo, à qua abſtrahitur.

ſchemate iſto.

Quod tandem ſchema ſpectat, non eſt, quod diverſum à Generico dicam. Tranſiens exprimit dodrantali charactere ſuum genus ſine ſpecie, aut ſpeciem ſine genere, uti Superbia. Peccatum. Permanens effert utrúmque Annuntiatio B. V. S. Benedictus. A. Fractur vocamus.

CAPUT III.

De Titulo Subalterno.

80 *Subiicere Generibus, et Speciebus ſua prædicata per*

E*ubulus.* Titulos de quibus capite antecedenti, meritò dicimus grandia illa ſcrinia, in quibus ſcientiarum & calami tui opes pulcherrimo ordine reponis, ut inde ad varios uſus pro temporis, & muneris tui ratione depromas. Ut igitur ordo iſte ab omni confuſione perſiſtat eximius, jam medium inquirendum erit; atque id inde repetendum, unde illa dimanat.

Dimanare autem ſolet ex ſola iniqua conjunctione prædicati cum ſubjecto. Arte itaque opus, ut utrum-

trumque debitè conjungatur, eam autem titulus, quem ab officio Subalternum vocamus, docebit. Is ergo pro muneris ſui ratione rerum, quæ in Genericis & Specificis continentur, prædicata, affectiones, ac actus in individuo repræſentat. Sic in titulo *Humilitas* Subalternus tibi exhibet modo infra referendô naturam humilitatis, uti ſunt: Eſt virtus, eſt præſtans; actus uti: obire vilia, æſtimare ſe minimum; effectus: uti nobilitat opera virtutum &c. *Subalternos ſub*

Euſebius. Sed quibus regulis ducor, ut quemvis Subalternum ritè ad ſuum Titulum referre ſciam? *Eubulus.* perſpicuis, & univerſalibus, quas tibi memoriæ ergo in hos verſus coëgi. *21 regulis ſeptem.*

1. Ad totum referas partes. 2. adjungito cunctis
Artibus objectum. 3. cauſas effectibus auge.
4. Omne genus ſpeciem, 5. propriúmque eſſentia poſcit.
6. Dant habitus actum, 7. factúmque potentia quærit.

Atque ſic ex regula prima mons, Bavaria, Europa pertinet ad terram; ex ſecunda, Terminus, Univerſale ad Philo-

Philoſophiam; ex tertia omnia arte-facta ad artem, qua efficiuntur; ex quarta Leo, urſus ad Animal; ex quinta obſcuritas ad fidem, riſus ad hominem; ex ſexta ambulare ſuper aquas, colere ſuperiorem ceu vicarium Dei, ad obedientiam; ex ſeptima ſonus, color, odor ad ſenſum. Subalternus alius eſt Fixus, alius Vagus; alius Major, & alius minor; alius demum naturæ, alius applicationis.

82 *Fixos.* Fixus exhibet ea ſolùm, quæ rebus ex natura ſunt agnata. Sic Fixi in Titulo *Humilitas* repræſentant ſolùm annexa humilitati, qualia ſunt de S. Cœleſtino noſtro: *Abdicare* Papatum &c.

Vagos. Vagi exhibent varia, & omnia per certam aliquam intelligendi lineam vagantia. Unde cùm hæc quæſtio: *Quis eſt auctor* vagetur per omnes res, quæ unquam inventæ ſunt, *Auctor* eſt vagus. Pari ratione cùm de quavis re tam bonâ, quam mala quærere poſſim, quænam dentur contra hanc, & pro illa induſtriæ, ſeu media, iterum *Induſtria* evadit vagus.

Majo-

Majorem dicimus quodvis ſubſtantivum, quod per aliquam ex ſeptem citatis regulis trahitu r ad quendam Genericum, vel ſpecificum. *Majores*

Sic ſonus. color eſt Subalternus major in Titulo Senſus.

Minores ſunt verba juxta exigentiam prædicati, & ſubjecti conjugata: & utrumque conjungunt. e g. Obedientia eſt virtus Magnatum Eccleſiæ. *Abdicare* Papatum. In priori exemplo *eſt*, in altero *abdicare* dicitur & eſt *Minor*. Subalternos Naturæ efficit, qui rem ſcribit ad eum Titulum, quem ipſa natura ob inditam connexionem ex ſeptem citatis regulis exigit, uti ſi referas igneas illas Pentecoſtes linguas ad Spiritum Sanctum hoc modo: Spiritus Sanctus *apparet* in ſpecie linguarum: erit *apparet* Titulus *Naturæ*. Si autem id ad quamdam moralitatem trahas, & dicas, Quandoquidem Spiritus Sanctus hodie tot linguas ſubmiſit, quis non videt genus humanum hactenus elinque fuiſſe? Jam feliciſſima tempora agimus: linguis divinis loqui poſſumus, non cum homine ſolùm, ſed cum Angelis, cum DEO ipſo, idque toties, quoties

Minores

Naturæ

Applicationis juxta

ties oramus. Et linguæ noſtræ quodam numine inſignitæ cœlos ipſos penetrant &c. Si ergo his orationem celebrare, & ad titulum *Oratio* notare velis, prodit iſte ſubalternus Applicationis: oratio *peragitur* lingua divina. En *peragitur* ſubſtat metaphoræ, & tuæ applicationi.

83 regulas certas pro fixis quo ad

His ſubalternorum diviſionibus, & illis ſeptem, quas omnibus ſubalternis communes diximus, regulis ritè trutinatis; ſingulos ſuis legibus fulciamus. Et quidem, ut à fixis initium ducatur, id ſubit fixi rationem, quo aliquis titulus Genericus, aut ſpecificus afficitur, ſeu quod de illo quæritur, aut prædicatur. e. g. Angelus inſervit celebranti. *Inſervit* eſt ſubalternus, quia prædicatur de Angelo. Ut autem ſcias, quidnam prædicetur de aliquo ſubjecto, examina te hoc modo juxta allatum exemplum. Quid afficitur? Angelus. Quomodo? inſerviendo. Jam quævis verba, quæ in examine exprimuntur in *do*, efficiunt ſubalternum, ac cum ſuo ſubjecto, ſeu Generico, aut ſpecifico in unam conſtructionem coguntur, ac ſcribis: Angelus inſervit.

Ex

Excipiuntur ab hac regula primò omnia, quæ ex aliquo habitu proficiſcuntur; illa enim in infinitivo efferri debent non attenta prædicati cum ſubjecto connexione. Habitus autem ſunt omnes virtutes, & peccata, ſcientia quævis, & artes. Unde quæcunque amore virtutum, ex inclinatione peccatorum, aut intuitu alicujus ſcientiæ fiunt, efferuntur in infinitivo ceu actus ad ſuos habitus. Velis jam excerpere è vita Sylveſtri II noſtri admirandam ſciendi ſitim, qua ſuccenſus varia regna, ut varias ſcientias penitus imbiberet, adivit. Effers id, quod amore ſcientiæ aggreſſus eſt, in infinitivo, ac ſcribis ad Titulum *Scientia. Adire* regna varia. Vide ſchematis 4 ſubalternos in c. 13. hujus partis. 84 *actus habituum.*

Excipiuntur ſecundò tituli ſpecifici permanentes, in quibus præter rationem ſubalterni tam ratio generis, quàm ſpeciei ad examen vocatur. Exemplum eſto hæc hiſtoria. B. V. ſalutat S. Bernardum. Si jam de charitate B. V. habes finem ſpecialem, ita te examinas. *Quid afficitur*? B. V. En ratio generis? *quomodo*? 85 *Specificos permanentes*

ut amans : en ratio ſpeciei ſcilicet charitatis : *quommodo afficitur ut amans?* *ſalutando* : en ratio Subalterni, atque ſic ſubalternus fit *Salutat* in titulo *Charitas B. V.* Unde ſi tibi ſit Nativitas Chriſti, Flagellatio Chriſti. Conceptio B. V. Nativitas B. V. &c. Titulus Specificus, refers omnia memoranda ad Nativitatem Chriſti, quæ de Chriſto nato, ſeu ſub reduplicatione Nativitatis invenis. Idem dicito de Flagellatione, alliisque allatis. Ex his patet ea ſolùm ad ſpecificum Permanentem referenda eſſe, quæ illam rationem ſpecificam ingrediuntur. Sic cui *Charitas Angelorum* titulus eſt, illa ſolùm huc referenda ſunt, ex quibus charitas angelorum ſpecialiter elucet. *Euſebius*. Sed, ſi nolim, ut Charitas ſit titulus, quò referre debeo geſta angelicæ charitatis? *Eubulus*. ad *Angelus* hoc modò Docet. Conſolatur &c.

86 *verba generalia*

Excipiuntur tertiò verba generalia. Nam ſubalternus ſemper exprimi debet per verbum proximum. Unde malè excerperes illam de S. Bernardo hiſtoriam per hunc ſubalternum. *Amat* S. Bernardum. Licet enim probetur B. V. in S. Bernardum

a-

amor ex ſalutatione, non tamen ſalutatio declaratur per *Amat*, ſed per *ſalutat*. Ne igitur ſubalterni inutiles multiplicentur, debent ex choro ſubalternorum quædam verba prorſus excludi, ſúntque hoc dyſticho clauſa.

Vult, Facit, atquè *Poteſt, Valet*, his conjungito *Debet*.
Cúmque *Tenetur*, *Agit*, cúmque *Videtur Habet*.

Velis itaque excerpere hanc Theſin. Virtus poteſt mentem humanam quietare: Omittis *Poteſt*. Et ſcribis: Virtus quietat mentem. Idem judica de his. Virtus facit hominem ornatum. Virtus valet plus quàm imperia. Virtus debet amari. Ad virtutem tenetur Chriſtianus. Virtus agit in animo, quod aſtrum in cœlo. Virtus videtur præſtantior, quàm omnis ſcientia. Virtus habet multos adverſarios. Et ſic effers. Virtus ornat hominem. Virtus eſt præſtantior imperiis. Virtus amatur. Virtus obligat Chriſtianum. Virtus eſt in animo, quod aſtrum in cœlo. Virtus eſt præſtantior omni ſcientia. Virtus patitur adverſarios. Ne autem ſenſus vitietur, poterunt verbi omiſſi litteræ initiales poſt Subalternum po-

 ni.

ni. e.g. Papa poteſt deponere Regem: ſic notas. *Papa deponit p. regem.*

87 *Minoribus* Rejectis in c. quintum *vagis*, & *Majoribus* in caput quartum reſervatis veniamus jam ad Minores titulos; cúmque nihil aliud ſint, quàm prædicatum, eæ primò Regulæ obſervandæ erunt, quas præſcribunt dialectici ad ritè conjungendum prædicatum cum ſubjecto: 2. Prima littera exprimitur forma majori, uti hìc initio capitis expreſſum vides *Subjicere*. 3. ponitur è diametro primæ lineæ. 4. Nunquam repetitur, quousque alio ſubalterno ejus ſenſus intercipiatur. Exemplum præbet *Humilitas* in Subalterno *Fugere*. Ponamus ergo jam tibi notandos, qui abbatias, qui epiſcopatus, qui Cardinalitiam purpuram, ipſam ſummam in terris Sedem fugerint; Sub unico hoc ſubalterno Fugere effers ſingulos honores hoc modô, & hac ſubalternatione etiam calamô expreſſa.

Fugere
abbatias
epiſcopatum
Cardinalatum
Papatum.

Atque

Atque ita pergis huic *Fugere* ſubjicere alias dignitates abdicatas, donec alius Subalternus ejus ſignificationem abrumpat, qualis eſſet *Obire* vilia. 5. In deſignandis ſubalternis non attenditur decor linquæ, ſed proprietas ſignificationis. Unde allatum humilitatis actum malè exprimeres per hos ſubalternos.

Erubeſcere ad purpuram Cardinalitiam
Subducere pedo paſtorali manum &c.

Hæc enim omnia intellectum, non memoriam, cui hîc ſoli conſultum imus, juvant. 6. cùm occurrunt ſinonymæ voculæ, eligitur illa in Subalternum, cujus initialis littera proximior eſt primæ vocali. Legis e. g. P. P. noſtrorum ſtudia amore litterarum in varias regiones excurrentium; ſic effers ad titulum Scientia

Adire varias
regiones

Errant ii, qui exprimerent per *Proficiſci*, *vadere &c.* 7. demum Subalterni Minores locum habent in ſola margine majori, ac in eo loco, qui correſpondet rectâ viâ primæ lineæ,

quæ in medio inchoatur. Si autem una hiſtoria plures Subalternos exigat, collocatur ſecundus, tertius &c. Subalternus eo loco, in quo ejus ſignificatio incipit. Vide in ſchemate 1. c. 13. voculas ſignatas n. 4.

Naturæ. Quod jam attinet ad Subalternum Naturæ, alia lege non indiget, quàm ut exprimatur per verbum proprium ſine metaphoris

83 *Applicationis* At verò titulus *Applicationis* attendit 1. acumen quoddam intellectûs â notante excogitatum ad quandam veritatem graphicè declarandam. Euſebi mira legi de ſtudiô demiſſionis Patrum noſtrorum, ac deprehendi eos potiſſimùm rem Chriſtianam propagaſſe, qui maximê in humilitate excelluerunt. Si jam tibi hæc ſenſa placent, ita exprimis in titulo *Humilitas.*

Eſt virtus magnatum Eccleſiæ.
Fulcit Eccleſiam.
Armat in idola &c.

2. magno fructu apponitur hic titulus margini ſine materia in medio collatâ, modo per *puram citationem* deſignes illam eruditionem, ex qua tuum acumen hauſiſti. En tibi pulcherri-

cherrimum exemplum. Lege mecum in titulo *Regula* hunc Subalternum *obſervatur* : & inveniemus eam obſervatam à maximis Præſulibus admiranda religione. Jam deſignemus Subalternum, & adſcribamus margini obvio loco ad titulum Regula.

Eſt gemma pulcherrima in infulis Pontificum

Nunc ſubde per *puram citationem* hiſtorias,aliásque eruditiones,ex queis ſtudia Pontificum in noſtram S. Regulam probare potes , & aperies tibi theatrum pulcherrimarum cogitationum. Si invenio Epiſcopum nocturnis horis Monachorum odea adiiſſe; dico. Hæc gemma etiam noctes illuſtrare poterat. Si invenio alium, qui nullis adverſis ab obſervantia S. Regulæ potuit avocari : dico. Adamas erat S.Regula in hujus viri infula : tundi poterat, non frangi. Atque ex his vides Euſebi quantam eruditionis materiem paret unicus titulus Applicationis, cujus proin amores, præcipuè ſi ſtudia tua Rhetoricæ addicere velis , magnopere tibi cordi eſſe velim.

3. Titulus *Applicationis* utiliſſimum locum habet, ſi in naturæ ſigni-

nificatione relinquitur quoad prædicatum, & ſubjectum, transfertur tamen quoad materiem. En iterum exemplum: Nunquid Euſebi hæc theſis eſt emuncta à metaphoris in titulo *Obedientia?*

Eſt neceſſaria.

Sed jam huic Theſi da materiem ab animalibus, elementis &c. quæ ad nutum Sanctorum obediêre, & erit *Eſt* metaphoricus titulus, licebitque iterum variè digredi in varios cogitationum, & eruditionum campos. Si attuliſti obedientiam e. g. Tauri, ſubdes. Hic taurus franget inobedientibus duram frontem &c.

4. Titulus *applicationis* rarò formetur, ſi excerpitur modo Brevi, Breviori, aut Breviſſimo; ſed toties, quoties licet, ſi uſurpetur *pura Citatio.*

5. ſchema, & alia omnia obſervat titulus *applicationis*, velut de titulo naturæ diximus, præcipuè autem ea, quæ de pura citatione afferemus.

CAP.

CAPUT IV.

De Subalterno Majori.

EUbulus. Luſtratis Minoribus, & Fixis venimus jam ad Majores, & Vagos, aut potius ad pellucidiſſimos omnimodæ eruditionis fontes, ex queis, ſi regulas ritè intellexeris, ambroſium cuiusvis ſcientiæ liquorem poteris haurire. Adeamus ergò primò Majores ceu fontes, ex quibus Vagi velut fæcundæ ſcaturigines ebulliunt. Et noſti Euſebi quamlibet ſcientiam eſſe ſimplicem quidem aliquam qualitatem, ut tamen illa potiamur, & utiliter uſurpemus, neceſſum erit, callere regulas nunc materiam, nunc formam, nunc cauſas, nunc effectus dividendi, neſcit enim vel modum diſcendi, qui negligit artem dividendi: & velut optimus cibus ſtomacho ſimul ingeſtus non ſaturat, ſed onerat: ita etiam ſcientia voraciter menti objecta ingenium non firmat, ſed turbat. Velut igitur intellectus partibus ſcientiæ ceu bolis quibusdam paſcitur: ita quoque memoria intellectûs ſagaciſſima æmulatrix diviſionibus velut ſapidiſſimis particulis erit nutrienda. 80 *Subalternare*

Di-

Diviſiones autem, quatenus Artem Memoriæ ſpectant, dicuntur ea omnia, in quæ aliquis titulus quoquo modo diſpertitur. Atque adeo quæcunque ſubſtantiva juxta regulas ſeptem communes n. 81 de Subalternis datas trahuntur ad aliquem titulum Genericum, aut, Specificum, vocantur diviſiones (Philoſophus dividentia diceret) & eo ipſo nomine ſubalterni Majores. Sic odor, cùm ſit objectum odoratûs, ſpectat ad odoratum; odoratus, cùm ſit diviſio ſensûs; ſpectat ad ſenſum, & ſic odor eſt ſubalternus Major in titulo *Senſus*.

Quæris igitur, qua ratione tibi ſit odor excerpendus. Antequam tuo quæſito reſpondam, notes velim, titulum quemdam nonnunquam dividi in ſubſtantivum, nonnunquam in obliquum, nonnunquam in membrum. Exemplum eſto Titulus *Virtus*. Primo modô dividitur in *Curam Minimorum*, alterô; ſi dicas. *virtus in adverſis*. Tertiô. ſi dicas. *Virtus Theologica*. His notatis eſto regula.

90 *ſubſtantiva* 1. Omnia Subſtantiva in illo titulo, ad quem trahuntur, ponuntur ab

ab initio, & ſubducuntur hoc ritu in dato exemplo *Virtus*.

1. *Cura Minimorum.* in margine collocas dein id, quod de cura Minimorum prædicatur, per debitum ſubalternum, haud ſecus, ac ſi Cura Minimorum eſſet Specificus.

2. Ut autem ſcias, an Subalternus Minor in margine poſitus immediatè prædicetur de ſubalterno majori, vel Generico, conſtringitur per numeros in minori margine poſitos.

Atque hi toties repetuntur, quoties novus ſubalternus minor. Sunto igitur in majori margine quinque Subalterni, & ponis in minori margine 5 numeros, & quidem ex adverſo primi Subalterni. 1. ſecundi 2. tertij 3. & ſic deinceps. Ea ratione auferes omnem confuſionem, ſciésque ex primo aſpectu, quænam immediatè de ejus diviſionibus prædicentur: Adi c. 13. p. 2. ſchema 7. ac nota voculas notatas n. 6.

3. Eadem eſt ratio de obliquis, & membris, ſeu adiectivis; pro utroque tamen notes neutrum habere rationem obliqui, aut membri, niſi pronuntietur intra Genericum, & ſub- *91 adiectiva.*

ſubalternum minorem. Exemplum eſto.

Virtus moralis docetur divinitùs.

En hìc *virtus* eſt Genericus, *docetur* Subalternus minor: ergo cùm inter utrumque mediet *moralis*, debebit ſubduci, habebitq́ue rationem Subalterni majoris

obliquos. 4. Idem tenendum erit de obliquis. e. g. ſit hæc theſis decantata.

Miſericordia erga defunctos eſt meritoria.

En iterum *miſericordia* eſt genericus, *Eſt* ſubalternus minor. Medium ergo, hoc eſt, *Erga defunctos* erit Subalternus major. Si itáque obliquus, aut membrum in medio non pronuntiatur, omittitur utrumque ceu inutile, & ſervantur regulæ communes.

92 *ſubdiviſiones* 5. At verò ſæpe ſolet evenire, ut una res ſubdividatur. Ut igitur omnis abſit confuſio, per numeros in minori margine poſitos curari debet; & quidem ſi nomen dividitur in duo membra, datur primo numerus 1. cum hoc ſigno $\overset{1}{\frown}$ ſeu circumflexo, ſecundus hoc modo 1 ſine ſigno, qui dein ſolus ad numerum Subalterno-

norum multiplicatur e. g. Velis recenſere, & excerpere virtutes aſſimilantes Chriſto, ſic effers ad titulum *Virtus.*

1 *Aſſimilantes* in margine locas debi-
∩
1 *Chriſto* tum ſubalternum in medio recenſes virtutes Chriſto aſſimilantes. Si autem quoddam nomen dividatur in tria membra, datur primi membri numero hoc ſignum 1/∩ ut antea, ſecundo 1/∩∩ tertio 1. Hanc ergo theſin. Virtutes aſſimilantes Chriſto prædicanti ſunt: ita notas.

1 *Aſſimilantes.* ſunt tres *ſunt*
∩
1 *Chriſto* erit ſubalternus, *tres* infi-
∩∩
1 *Prædicanti* mus, in medio dein collocas virtutes, & rationes, cur aſſimilent Chriſto prædicanti. Sed hæc clariùs perſpicies, alibi ubi, ut me promiſſo redimam, in fuſa exempla digrediemur.

CAP-

CAPUT V.

De Vagis.

93 *Vaga*

NUnc Euſebi *Vagos* inſequamur, quos ſi conſecutus fueris, næ magnus doctrinæ tuæ cumulus, & cumulo voluptas accedet! *Euſebius* oculos, & aures meas habes Eubule! perge: ſolô mihi Vagorum vocabulô concitas orexin.

Eubulus. ſciendum itaque Vagum nihil aliud eſſe, quàm locum quæſtionis cujusdam per certam intellectus lineam vagantis, ac in ſuas claſſes diſpenſantis. Cùm igitur intellectus inveniat aliam intellectionis lineam in rebus, aliam in perſonis, aliam in bonis, aliam in malis, & demum aliam in mixtis; alii quoque ſunt vagi rerum, alii perſonarum, alii bonorum, malorum, & mixtorum.

rerum

De re quavis poſſum interrogare, quisnam illam invenerit, & prodit Vagus *Auctor.* poſſum interrogare, quid ſignificet in SS. litteris, & prodit Vagus *Scriptura*; quid ſignificet in SS. Litteris allegoricè & prodit *Allegoria*; quid ſignificet cum ornatu, aut eruditione, & prodit *Flores*, & demum, quid ſignificet ex inſtituti-

one

one hominum, & prodit *Etymon.* Denique poſſum quærere de rebus certam durationem habentibus, quid ſub ipſis durantibus evenerit, & prodit *Eventus.*

Eadem eſt ratio de perſonis: de quibus duo quærere poſſum: inprimis quænam ſint in certo ſtatu, & quandonam aliqua perſona vixerit. Ex illa quæſtione dimanat *Status*, ex iſta *Chronologia.* *perſonarum.*

De bonis poſſum quærere quanti conſtent, quo pretio veneant; quommodo laudentur, quas prærogativas habeant à DEO, vel homine. Et ex iſtis naſcuntur pulcherrimi Vagi, *Pretium. Elogium. Gratia. & Indulgentia.* *bonorum.*

Si mala occurrunt legenti, potes quærere, quomodo puniatur hoc, vel illud malum? quomodo vituperetur? quomodo demum emendetur. Ex hoc habes Vagum *Converſio*, ex iſto *Probrum*, ex illo demum *Pœna.* *malorum.*

Denique ſunt quæſtiones, quæ in eadem linea nunc per malas, nunc per bonas res vagantur. Sic tam de bona, quàm mala re potes quærere. Quot ſunt hæ res numero? quodnam eſt ſignum hujus rei? quom- *mixtorum.*

modo hæc res, ſi mala, propulſatur; ſi bona, aquiritur. Ex prima quæſtione naſcitur Vagus, *Numerus*, ex ſecunda *Signum*, ex tertia *Induſtria.* Præterea de mixtis potes quærere, quænam emineant in ſupremo gradu? quænam ſint contenta in infima claſſe? quænam ſint à te determinata? Ex primo quæſtio emergit *Apex* ex ſecundo *Denomina*, ex tertio *Clavis.*

Ac tandem interrogari poteſt, cujus patrocinium rebus, aut perſonis quæri, quo colore oculis, quóve ſenſu animis exhiberi debeant; ac demum quænam evenerint certis temporibus. Et jam iterum habemus quatuor omni eruditione plenos Vagos. Illum *Patronus*; iſtum *Symbolum*, hunc *Proverbium*, & poſtremum *Tempus* Vocamus. Omnes habes in his verſibus memoriæ ergo comprehenſos.

Auctores, Pretium, Chronicon, Converſio, Pœna.
Gratia, Scripturæ, Denomina, Symbola, Tempus.
Etymon, Eventus, Status, Indulgentia, Signum.
Elogium, Numerus, Flores, Proverbia, Probrum,
Allegoria, Patronus, Apex, Induſtria, Clavis.

Jam ſingulorum Vagorum eô, quô hìc poſiti ſunt ordine, quæſtio-

ſtiones enodemus ſingulis ſuum ſchema ſubjecturi.

Ad Vagum *Auctor* ergo ſpectant ea omnia, de quibus quæritur hoc, vel ſimili modo. Quis invenit hanc vel illam rem? quis eſt auctor e. g. Typographiæ &c? Atque ſic res inventa fit Subalternus, Infimus perſona, quæ invenit, e. g. 94 *Auctores*

Breviarii Romani:
S. Gregorius M. Papa.

Ad Vagum *Pretium* referes ea omnia, quæ clauduntur hiſce quærendi formulis. Quanta ſumma, pretiúmve impenſum fuit ad hanc rem comparandam? Vel quanti æſtimatur, aut quanto pretio emitur? Ac ſic res æſtimata fit ſubalternus, infimus pretium e. g. ſit parentatio Hepheſtioni ab Alexandro M. facta, quæ noſtra monetâ ſeptem & amplius milliones adæquavit. *Pretium.*

Parentationis:
milliones ſeptem.

Vagus *Chronicon* ſibi vindicat tempus, quo quævis perſona vixit. Hinc ſi quæritur quando e. g. S. P. N. Benedictus vixerit, hic titulus adeundus *Chronicon*

erit. Cùm igitur ad perfectam notitiam Chronologicam etiam Spectet tempus nativitatis, aquiſitæ cujusdam dignitatis, mortis canonizationis, &c. hæc omnia ad Chronologiam referenda erunt. Proderit huc ordine citare titulos, quos vitâ alicujus Sancti fæcundaſti. Cæterùm Subalternus eſt perſona, Infimus annus, & dies mortis, cætera referuntur in medium hoc modo.

S. P. Benedicti:

an. 542. æt. 62. 21. Mart.

Converſio.

Converſio gaudet ſimili quæſtione. Quis malos, regna, provincias &c. convertit ad meliorem frugem? cui fidem debet e. g. Bavaria? Quis mirabilis fuit in converſione luxurioſorum &c? Et ita regna, luxurioſi, qui convertuntur, ſubeunt rationem Subalterni, qui convértit, fit Infimus. Exemplum ſit S. Wolfgangus, cui debemus cònverſionem Bohemiæ.

Bohemiæ:

S. Wolfgangus Ep.

Pœna.

Illuſtriſſimus titulus *Pœna* ſibi ſumit ſuam materiem ex ſimili quæſtione. Quomodo punitur hoc vel illud delictum jure humano, divino &c. apud has,

has, vel illas nationes? à Deo ſcelerum omnium vindice? Delictum, quod punitur, ſibi arrogat locum Subalterni, pœna, qua punitur, Infimi. Exemplum habes in Rege Abimelech, qui Gen. 26. 11. ſupplicium mortis decernit in adulteros.

Adulterii:
mors.

Ad Vagum *Gratiæ* confluunt, quæ ingrediuntur quæſtionem præmii, mercedis &c. Ut ſi quæras quali præmiô Deus, homo &c. ſoleat virtutem quandam remunerari? Quô præmium meremur, efficis Subalternum, ipſi præmio das locum Infimi. Velis jam excerpere illud factum ab Angelo S. Patriarchæ noſtro promiſſum ſalutem nempe æternam adepturos S. Regulæ ſtudioſos, ita effers. 95 *Gratiæ.*

Regulæ S. Benedicti:
Salus
æterna.

Noſti Euſebi, & norunt boni quique quanta S. Scripturæ præſtantia: ne igitur vel apex tuam induſtriam prætereat, duo Vagi ſolis ejus eruditionibus occupantur. Primum dicimus ſcripturam, habétque hanc quæſtio- *Scripturæ.*

 nem.

nem. Quid ſignificet in ſacris Bibliis in ſenſu proprio hoc vel illud verbum tam ex Hebræo, ſeu fonte; quàm ex intentione Spiritûs Sancti? in ſenſu allegorico, myſtico, aut anagogico? Differt hic vagus ab Allegoria, quòd ſibi vindicet omnia nomina S. Scripturæ, Allegoria autem ſolùm repræſentata per nomen. Vide quæ dicemus de Vago *Allegoria* infra n. 98. Verbum ergo, cujus ſignificatum indagas, erit tibi Subalternus; verbum autem, quo tibi illud explicatur, erit Inſimus. Cupis ſcire, quid Gen. 5. 22. ſignificet. Ambulavit Henoch cum Deo. Dico tibi idem ſignificare; ac: vixit ſanctiſſimè. Ergo effers hunc in modum.

Ambulavit Henoch cum Deo:
vixit ſanctiſſimè.

Denomina. Invenit Euſebi humanus intellectus permulta, quæ conſideret, in ſimilitudine rerum, ac ex iis, ſi unum alteri conferat, dulcem haurit voluptatem. Unde quæ ſic conveniunt, bonâ Grammaticorum veniâ dicimus *denomina*, quòd à nominis naturâ degenerent. Atque hæc habent quæſtionem pluralem adjectivorum, veluti:

luti: quæ dicuntur innumerabilia? quæ cenſentur parva? quæ dicis glorioſa aſcetæ? En *glorioſa, parva*, & *innumerabilia* ſunt denomina. Ipſum denomen petit locum ſubalterni, ſubſtantivum ſub ipſo deprehenſum, agit vices Infimi. Sic cùm Gen. 13. 16. dicantur ſtellæ innumerabiles, ita efferṣ:

Innumerabilia:
ſtellæ. Gen. 13. 16.

Ad vagum *Symbola* ſpectant imagines rerum oculis colore, amictu, & penicillo exhibitæ. Et habent hanc quæſtionem. Quommodo, quo habitu, formâ pingitur ordo S. Benedicti? Humilitas, Otium, Italia, Hyems, Fæcunditas &c. Exemplum eſto tibi otium. Id exhibetur, puerô centonibus malè veſtito, manus ſocorditer complicante, ac humi jacente circumpoſitâ rerum rubiginoſarum farragine. *Symbola.*

Quod exhibetur ſit ſubalternus pro more in obliquo, quô repræſentatur, ſit Infimus hoc modô

Otii:
puer humi jacens.

Tempus *Tempus* ſibi attemperat ea omnia, quæ ſub certa temporis duratione dici poſſunt eveniſſe. Veluti ſi quæras quid contigit horâ primâ? quid fer. VI. quid 1. Junii? quid anno 1122. Si me interroges Euſebi quænam evenerint 1. Januarij, poſſum tibi ex hoc vago multa afferre, uti: ethnici larvati incedunt. Chriſtus circumditur à B. V. Si velis ergo excerpere, ita effers juxta ſchema infra dandum ad Januarium.

Chriſtus
circumciditur.

96 *Etymon* Ad Vagum *Etymon* derivantur, de quibus quæritur, quid ex etymologia ſignificent: ut ſi quæras ex me, cur ſignificetur præſtantiſſimum humani corporis membrum, capite; dico tibi ex hoc Vago; quia omnia capit. Et ſic effers

Caput
capit omnia.

Eventus Veniamus jam ad *Eventus* ſortitúrque has quæſtiones de rebus certam durationem exigentibus. Quid contigit ſub hac, vel illa re? vel quid evenit in hoc vel illo loco e. g. Quid contigit in Templo? Quid geſtum

ſtum eſt ſub Profeſſione religioſa? Si ergo petas materiem, ut laudes ſacrificium Miſſæ ab eventibus, qui ſub ipſo contigére, poſſum tibi ex Sæc. 6. Bened. p. 1. ad an. 1046. afferre B. Richardum Abb. S. Vitoni, qui ſub Sacro integro cubitu è terra in aëra levatus eſt. Res ſub qua; vel locus, in quo memoranda evenerunt, fiunt Subalterni, Infimi memoranda. En datum exemplum.

Miſſæ:
  Levari in
    aëra.

Nota autem Euſebi vocem *contigit*, & *tempus* latè ſumi & prout complectitur eventus rerum, qui certo tempori non aſtringuntur de ſe. Sic ſi quæras ex me, quid contigerit ad nudum aſpectum? oſtendam tibi, ad ſolum aſpectum S. Pauli Leonen. urſum ita contremuiſſe, ut maluerit necem, quàm Divi faciem ferre. Idem eſt, ſi quæras inſolitum eventum de *Cunis*, de *Dente*, de *Enſe* de *Fungis* & ſic deinceps. Proſunt hæc plurimùm adornandis Exordiis, Suſtentationi, comparationibus, & potiſſimùm Tranſitionibus ingenioſis.

Status

Neceſſum eſt, ut ſciamus varias perſonas, quæ aliquo ſtatu, dignitate, virtute, vel vitio fuêre memorabiles. Si ergo quæras, quinam ſint e. g, divites, benefici. hujus Vagi poſſum tibi exhibere ex ſolo Gen. Abrahamum c. 13. 2. & 24. 35. Iſaac 26. 13. Jacob. 30. 43. & 31. 1. Eſau 36. 7. Idem dic de aliis perſonis ſtatuum, virtutum, vitiorúmve, uti ſunt Conſiliarij, Ebrij, Heroës &c. Jam igitur ſtatum effers Subalternô, perſonam Infimô hoc ritu.

Divites:
 Abraham Gen. 24. 35.

Indulgentia

Utile porro eſt noſſe, quasnam variis operibus. SS. Pontifices conceſſerint Indulgentias.

Si igitur quæritur; quænam ſint huic, vel illi operi conceſſæ, Vagus *Indulgentia* adeundus erit; ac refert opus, cui datæ ſunt in Subalterni, ipſas Indulgentias in Infimi loco. Exemplum ſunto indulgentiæ conceſſæ profeſſioni Religioſæ, quæ ex certa ſententia plenariæ ſunt, & excerpis ſic.

Profeſſionis religioſæ:
 plenariæ.

Ad

Ad eruditionem plurimùm confert noſſe rerum ſigna. Cùm ergo quæritur, qua ratione hæc, vel illa res ſit cognoſcenda; vel: quale ſignum ſit auri probati, Eccleſiæ veræ, ſterilitatis &c. Vagus *Signum* aperiendus erit; ac rem, cujus ſignum inquiris, efficis Subalternum, ipſum ſignum, Infimum hoc modo: *Signum*

Eccleſiæ veræ:
unitas.

97 Ad vagum *Elogium* deducis, quæ ingrediuntur hos quæſtionum modos. Quisnam, aut quænam decorantur hoc, vel ſimili elogio? Quis dicitur e. g. Aquila Apoſtolus, Magnus, Pater patriæ &c. Atque ſic Elogium in Subalterni, & Infimi, ſi dividatur, dignitatem educis; Si non dividatur, elogium relinquitur ſine Infimo. A quo & cui tribuitur elogium, refertur in medium in contextu; ratio autem generis exprimitur per modum Subalterni majoris. ſed de hoc infra c. 13. ubi vide voculas ſignatas n. 6. Exemplum eſto Elogium Cardinalium *Elogium*

1. *Cardinalium.* Columnæ excelſæ
Eccleſiæ.

In

Numerus. In rem litterariam confert notitia numerum rerum exprimendi; veluti ſi ſcias, quot ſint anni dies, in anno quadrantes, Sancti in ord. S. Benedicti, Auguſtini &c. Quot numerentur in corpore humano oſſa &c. Quot ſint idiomata in orbe? Similes ergo quæſtiones efficiunt Vagum *Numerus*, Fítque res numerata in Genitivo Subalternus, Infimus numerus individuus e. g. In ordine S. Benedicti quot ſunt Sancti? reſpondeo: ſunt 15559. Et ſic effers

Sanctorum Benedictinorum:

15559.

Flores. Non vacant eruditione exquiſitæ, & ad leges hiſtoriæ, Poëſeos, humaniorúmque litterarum caſtigatæ ſententiæ, ſúntq; iis præcipuo ſtudio quærendæ, qui amœnis Muſis vacare ſolent. Unde quoties quæritur: quom̃odo hæc, vel illa res cum quodam ornatu & eruditione exhibeatur, Vagus *Flores* opem præſtat. uti ſi quæras: quid ſignificet malè commentari: invenio in meis Floribus: ſuis ſcholiis, dicam an ſcoriis malè S. Gregorium conſpurcare. Si quæras, quid ſignificet matronam caſtam? quid medicum? quid ſtolidum? en tibi

bi ex meis iterum floribus Lucretiam, Machaönem, Pæonem, Abderitanum. Cujus ſignificatum indagatur ſit ſubalternus, ipſum ſignificatum ſit Infimus e. g.

Stolidus :
 Abderitanus.

Illuſtrantur res ferme omnes quodam triverbio, apophthegmate, aut ſingulari quadam ſententiâ. Unde ſi quæritur, quali ſententia utar contra illuſiones nocturnas? quali ad amandum DEUM? quali ad Sanctum quendam e. g. ad S. Joannem? quali in adverſis? quali in aditu cellæ? tunc luſtrandus Vagus *Proverbia*, ſitque id Subalternus, pro quo quæritur apophthegma quoddam, ut in datisexemplis illuſiones nocturnæ, Charitas DEI, Joannes Evang. Adverſa, & aditus cellæ; ſententiam ipſam in medio collocas e. g. *Proverbia.*

Charitas. DEI.	Aut amare, aut mori. S. Franc. Saleſius.
	In omnibus glorificetur DEUS. S.Ben. c. 57. Reg.

Ut encomiis, ita vituperiis res multæ afficiuntur : ac veluti illorum per *Elogia*; ita horum per *Probra* in- *Probrum.*

indagandus eſt apparatus eruditionis. Si quæras ergo quommodo hæc res vituperetur, quæſtioni ſatisfaciet iſte Vagus, ſitque Subalternus. Probrum, Infimus res affecta probro. Velis quærere quænam vituperio e. g. dæmonis afficiantur; & invenies peccatorem in hac ſententia S. Cyrilli Alex. in c. 6. Jo. l. 4. c.30. „Sicut, qui ad„hæret Deo, unus ſpiritus fit cum illo: „ita qui diabolo (per peccatum) dia„bolus quodammodo efficitur. Et effers tam vituperium, quàm vituperatum in recto; hunc Infimi, illum in loco Subalterni hoc modo

Dæmon:
  peccator.

98 *Allegoria.* Jam iterum venerabundi adeamus Sacra Biblia. Et noſti frequentes eſſe ſimiles quæſtiones, per quid in S. Scriptura repræſentetur B. V. Maria? per quid Eccleſia? per quid anima? &c. His enodandis quæſitis ingentem apparatum conferet Vagus *Allegoria.* Ven. Beda in Hexam. ait Eccleſiam per Evam Gen. 2. repræſentari. Eccleſia inquit eſt mater omnium per orbem verâ vitâ viventium. Velis jam hanc allegoriam notare, effers

rem

rem ſignificatam per ſubalternum, ſignificantem autem per Infimum.

Eccleſiæ:

Eva.

Econtra verò Vagus Scripturæ effert rem quocunque ſenſu ſeu proprio, ſeu allegorico, ſeu myſtico, ſeu anagogico ſignificantem per Subalternum, & ſignificatam per Infimum. Exemplum eſto manna Exod. 16. Si quæras, quid id ſignificet? dico, litteraliter ſignificat verum cibum ab angelis paratum, allegoricè Chriſtum in Euchariſtia, anagogicè gaudia Beatorum, & ſic ſingula ſignificata ſubeunt in Vago Scriptura Infimum. Si autem quæras, per quid repræſentetur cibus, Euchariſtia, Beatitudo, ſingula reducuntur ad Vagum Allegoria, illud ad C. iſtud ad E. hoc ad B. Hi itaque duo tituli ſe mirificè juvant mutuâ eruditione, tum præcipuè, ſi res notatu dignas ad unum referre, etiam alterum citare non graveris. Exemplum ſit dicta eruditio

Eccleſiæ:

Eva.

In hiſtoria Eccleſiaſtica frequens occurrit, quinam Sancti ſint tutelares hujus *Patronus.*

hujus ſtatûs, vel tribûs; contra hunc morbum, aut vitium, ad comparandam hanc virtutem, vel gratiam? ut eam eruditionem calamô tuam facias, Vagus *Patronus* ſerviet. Res, cui patrocinium quæritur, ſit Subalternus; ipſe patronus Infimus, uti vides.

Peſtis:
  S. Sebaſtianus.

Apex. Quidquid creatum cernimus, quâdam eminentiâ ſeu malâ, ſeu bonâ gaudet. Unde cùm quæritur, quid ſit optimum? quid peſſimum? quid difficillimum &c. intellectus quandam eruditionem conſpicit, ac proin, ut eam in rem litterariam vertas, opus eſt quodam Vago, ísque dicitur *Apex*. Omnes ergo ſuperlativos ſibi vindicat, & quidem ſi quæſtio eſt de ſubſtantivo, in Subalterno, ipſum autem ſuperlativum in Infimo. e. g. Quænam eſt maxima civitas? ſic ſcribis

Civitas
  maxima:
    Ninive.

Si autem quæritur de adjectivo, id ſit Subalternus, & quod de ipſo cum emi-

eminentia profertur, abit in Infimum. Sic ſi quæras, quid ſit horribiliſſimum? invenis mortem, & effers

Horribiliſſimum:
mors.

Induſtria Appellimus jam ad Vagum omnium utiliſſimum, quem *Induſtria* dicimus, ac ſibi aſciſcit omnes quæſtiones, queis inquirimus, quale ſit medium contra hoc malum, Superbiam, peſtem, ad aquirendam hanc virtutem? humilitatem, doctrinam &c. in adverſis, in proſperis. Ac ſic rei, cui quæritur medela, tribuis Subalternum; medelæ autem, quam inquiris, Infimum. Quæras ergo, quale ſit remedium ad humilitatem? dico Exemplum Chriſti, & ſic ſcribis

Humilitatis:
exemplum
Chriſti
B. V. &c.

Claves. Denique gaudet humanus intellectus multa noſſe, quæ olim à nobis ſancita, propoſita, aut etiam facta ſunt. Quis non cupit ſcire, quando ſacram monaſticen amplexus ſit? quando hoc vel illud iter confecerit? quando ſe huic, vel illi ſtudio dederit?

Quæ ergo Euſebi determinare ſoles, ad Vagum *Claves* referto. Unde Claves ſunt copioſum ſimul atque utiliſſimum narthecion propoſitorum tuorum. Ac ſic quod propoſuiſti, fit Infimus: id, circa quod verſatur propoſitum erit Subalternus. Satuiſti e. g. toties profeſſionem renovare, quoties novum datur imperium, aut officium, aut monaſterio egredi debes, vel novam veſtem accipis, ita excerpes.

Profeſſionis religioſæ:
  renovatio.

Huc ſpectant ea omnia, quæ ceu Subalterni majores veniunt ad plures Genericos e. g. meſſis eſt actio, & eſt effectus terræ. Ne ergo nunc ad terram, nunc ad actionem meſſem referas, in clavibus determinas ad alterutrum titulum ſervatâ priori regulâ hoc modô

Meſſis
  Actio. Subaudis titulus meſſis eſt Actio.

Idem dicito de aliis dubiis Subſtantivis, uti eſt miraculum, optio, & alia non pauca, quæ uſus docebit.

CA-

CAPUT VI.

De Schemate, & Regulis Vagorum.

EUſebius. Non ſolùm reminiſcendi, ſed etiam diſcendi ampliſſimum mihi campum aperuiſti Eubule. Quot enim vagos recenſuiſti, tot videor mihi intueri aureas ſcalas, per quas humili ingenio ad verticem illuſtris Litteraturæ liceat eniti. Tu igitur perge monſtrare rationem, quâ ſcalas iſtas ſine calami peccato conſcendam. *Eub.* Eo in vota tua. Et imprimis notes velim ſchema omnium Vagorum, ſi *Tempus* excipias, unum eſſe, atque ſimillimum. Cuivis coordinando tot folia (folium dicimus quartam quaternionis partem) accipis, quot litteras numerat alphabetum Latinum. Singula dein folia ſignas ordine alphabetico ſua littera, & ſubjungis ipſum Vagum utrumque charactere, & formâ dodrantali. Exemplum ſit Vagus *Pœna*.

99 Coordinare Schema Vagorum per litteras

A Pœna. Folio ſecundo aſcribis B. Pœna. Et ſic deinceps pergis ad ſequentes litteras. Cùm ergo juxta

n. 94. ſcelus, quod punitur, ſit Subalternus, id referes ad illud folium, quod littera initiali cum ipſo conſpirat. Atque adeo pœnas adulationis refers ad primum folium ſignatum A. Beſtialitatis ad B. Calumniæ ad C. Sícque pari ritu deſcendis ad ſequentes litteras, & quod de Pœna dixi, etiam de aliis vagis dictum exiſtima. Si ergo jam primum folium notis impleveris, ſufficis alterum, non tamen amplius ſignatum litteris dodrantalibus, ſed ordinariis, ac quidem in minori margine parte averſa, uti hìc in latere ſcriptum vides A. Pœna. Ut abſit litterarum confuſio, ſignas quamvis folii faciem ſuo debito numero, ut de Genericis monuimus. Adi ſchema ſextum c. 13. A. Pœna.

Quod jam ad Vagum *Tempus*, qui his legibus exerrat, pertinet, ſciendum tot paranda eſſe folia, quot numerantur temporis differentiæ quadam eruditione imbutæ. Cum igitur poſſim quærere, quid contigerit, hac vel illa hora; hoc vel illo hebdomadis die; hoc vel illo mensîs die, hoc vel illo anno à Chri-

Chriſto nato; hoc vel illo anno ab orbe condito, ſingula ſibi ſua folia vindicant. Hora igitur ſcribitur dodrantaliter, quæ evenerunt, ſubeunt marginem majorem; numerus horæ in minori margine exprimitur. Velis igitur illorum ſententiam notare, qui Chriſtum hora 12. noctis conceptum dicunt, ita exprimis.

12 Hora noctis Chriſtus concipitur. En *Chriſtus* eſt Subalternus, *concipitur* Infimus. In medium refers auctorem, qui docet Chriſtum horâ 12 noctis conceptum. Eundem modum tenebis in ſeptem hebdomadis diebus, cuivis dierum ſuo folio aſſignatô. Primum dodrantaliter ita ſignas

I. Dominica. Alterum ita

II. Feria. Tertium ut ſequitur

III. Feria. Et ſic deinceps, Sabbatum ita exprimis

VII. Sabbatum. Quæ his diebus eveniſſe dicuntur juxta leges conſuetas fiunt Subalterni. e. g.

 Sin-

Singulis Sabbatis ad tumulum S. Eguini Ep. Wigornien. fere aliquis æger ſanatur. Vit. c. 4. n. 23. Hanc eruditionem refers ad Sabbatum, in margine fit Subalternus: *Prodigia.* Infimus *crebra* hoc modo

Prodigia
crebra.

Schema menſium æmulatur partim horas, partim dies, uti enim dies exprimuntur præmiſſo numero; ita etiam exprimi debent menſes; uti vides

I. Januarius.

II. Februarius. Pari formulâ deſcribis cæteros menſes Martium, Aprilem &c. Ab horis autem mutuant menſes numerum, ita ut, quota ſit dies menſis, exprimi debeat in minori margine. Exemplum eſto 19. Febr. quo S. Patriarchæ noſtri in ſpinis ſe ſe volutantis, & glorioſè de carne triumphantis memoria agitur.

Commemoratio triumphi	quem S. P. in ſpinis volutatus retulit. Subdis	19

deia-

dein auctorem hiſtoriæ. En numerus 19. in minori margine hunc menſis diem deſignat. Eum in modum facili negotio conficies pulcherrimum diarium. Sed major difficultas, non tamen minor utilitas emergit in coordinandis annis: verumtamen evaneſcet illa, & hæc magis arridebit, ſi ſequentia obſervaveris. Imprimis, ſigna unicum folium hoc titulo dodrantalibus litteris.

Annus à Chriſto. Dein *101 Chronologia*
quæcunque ſæculo primo à Chriſto nato contigerunt, refer in hoc folium. Numerum anni exprimis in minori, rem in majori margine. Exemplum ſit annus trigeſimus primus à Chriſto nato, quo mulier de turba Marc. 3. vocem efferens laudavit Chriſtum; & ſic efferes in hoc folio.

31.	Chriſtus laudatur	à fæmina Marc. 3. vocem de turba extollente.

En 31. in minori margine poſitus exprimit annum 31. in primo ſæculo. Hoc obſervato facillimum eſt Chronologiæ ſtudioſo

coordinare ſæcula ſequentia. Nam accipe tot folia, quot numeramus à Chriſto ſæcula, primo dempto, utpote quod ſibi vindicat titulus Annus à Chriſto. & primum folium ita ſigna.

I. Chronologia. C. Secundum ita ſignes.

II. Chronologia. CC. Et ſic pergis usque ad ſæculum modernum hoc modo

XVII. Chronologia MDCC.

Numeri *Chronologia* antecedentes ſignificant ſeriem ſæculorum, ſequentes ipſum ſæculum. Annus autem, qui ſæculo adjicitur, exprimitur in minori margine. Cùm itaque velis notare, quæ evenerant ſæculo moderno, ſumis folium ſignatum MDCC. & eruditionem illi annotas, ipſum autem annum hujus ſæculi exprimis in minori margine. Velis notare an. 1711. obiiſſe Joſephum I. Rom. Imp. refers ad dictum folium ſolo numero 11. ad minorem marginem poſito. Nam annos 1700. jam habes in cifris expreſſos, quos proin repetere ſuperfluum foret. Sic commemoratio

omnium

omnium fidelium defunctorum an. 1030. ab Odilone Abb. inſtituta refertur ad X Chronologia M. ſolo 30 ad marginem elocato. Parem methodum ſequi poteris in annotandis annis ab orbe condito. Si tamen compendio uti volueris, deſtina tot folia, quot à mundi incunabulis uſque ad Chriſtum numerantur millenaria, ac quæcunque evenerunt, ad ſuum millenarium deriva. Exempli gratia. Saulem an. ab orbe condito 2090. fuiſſe creatum Regem Iſraëlitarum refers ad folium ita dodrantaliter ſignatum. Millenarium III. nam 90. anni, qui 2000 añis effluunt, jam pertinent ad 3um millenarium. Ut autem abſit confuſio, tot formabis minores margines, quot exigit diviſio numeri. Cùm igitur primum Millenarium tantùm bis dividatur, binam tantùm petit marginem: primæ inſcribis ſæculum, ſecundæ annum ſæculi, uti cernere licet in hoc exemplo Enochi an. 998. à mundo condito è cœtu hominum rapti. 9|98.| Enoch rapitur. Gen. 5. Econtra verò ſequentia millenaria exigunt tres margines, ut habes in ex-

emplo Davidis, an. ab orbe condito 2920. uncti in Regem, & ſic efformas in tertio Millenario.

2 | 9 | 20 David creatur Rex. Hic
memineris Euſebi eorum,
quæ de Subalternis diximus,
& velut illi non repetuntur,
donec ab alio
Subalterno intercipiantur,
ita quoque ſenti de omnibus
numeris in minori
margine poſitis. Si igitur
ad poſitum de Davide exemplum
ponenda foret
eruditio quædam ſacra,
quæ an. à mundo condito
eveniſſet 2921. ſolum-
21 modo repetis 21. hoc mo-
do. Si autem contigiſſet
8 | 20 an. 2820. ita ſcribis. At-
que hac ratione Chronologiæ
ſtudioſus facilè ſingulos
annos quodam mirabili
eventu illuſtrabit.
Cùm autem Chronologia
per litteras, ad quam ſpectant
res, de quibus quæris,
quando contigerint,
& Chronologia per numerum

rum, ad quam veniunt temporum eventa, ut ſi quæris, quid evenerit an. à mundo condito 1234. ſe mutuò plurimùm adjuvent, ad alterutrum titulum res ſcribenda erit, & ad alterum per puram citationem referenda. Ut autem Chronologiam de aliquo Sancto expeditam habeas, proderit per *puram Citationem* ſubjicere titulos, ad quos illius geſta retuliſti. Ut prototypon habeas, de verbo ad verbum ex meis excerptis tibi S. Neotum affero.

S. Neoti Abb. an. 877. 31. Jul.	Natus ex Fidulpo Rege Cantiæ. Monaſticen amplexus in monaſterio Glaſtonien. Claret doctrinâ. 1· Char. 14. 1. 4· Sacramentalia 2. 1. 2. 5· Ang. 54. 6. 6· Mors 34. 1. 7· Fortit. 30. 6. Humilit. 59. 2. Obed. 40. 3. 9· ſcient. 10. 5. 1· Colloq. 12. 3. Solitudo 30. 5. I. Pœna. 30. 7.

Jam

Jam ſingula ad trutinam vocemus. Numerus circumfluente nota ſignatus denotat librum excerptorum. 1. Librum de Deo, qui primus eſt, 2. librum de Chriſto, qui ſecundus. Sed de libris c. 8. plura n. 106. Char. Ang. &c. denotant titulos Charitatem, Angelum &c. 1. Numeri autem primo loco poſiti faciem titulorum, ſecundo loco poſiti Subalternum deſignant, ac quidem primus primum, ſecundus ſecundum, & ſic deinceps. Adi, quæ dicimus de pura Citatione c. 11. n. 75.

102 *Vagos ſub regulis*

Jam regula pro Vagis eſto prima. Ad vagos referas omnia, quæ ſub una certa quæſtione per integram aliquam lineam vagantur e. g. Quæſtio: quis invenit? ſubjecta ſua derivat ad *Auctores*; quanti conſtat ad *Pretium* &c. uti diximus c. 4. 2da. Quæ ad Vagos ſpectant, ferme præſtat modo breviſſimo excerpere: circumſtantiæ namque, uti conſideranti patet, Vagos parùm ornant. 3tia. Si placent circumſtantiæ, proderit totam e. g. hiſtoriam referre in locum proprium, id autem quod vagum eſt, per puram citationem ad Vagos derivare e. g. celebrem illam

de

de inſtitutione Feſti Corporis Chriſti hiſtoriam referes ad Cultum SS. Euchariſtiæ, auctorem Feſti ſcilicet S. Julianam Cornelienſem ad F. *Auctor* citabis. 4. juvat in nonnullis Vagis non adeo fæcundis conjungere duas, vel etiam tres litteras. Sed hîc finis, quem aliquis præfigit ſuis excerptis, attendendus erit. 5. Si paras componendæ e. g. panegyri ſylvam rerum, inſeris apta folia Vagorum illi titulo, ex quo hauris materiem tuæ theſi. Plura de hoc p. 3. de uſu excerptorum.

CAPUT VII.

De titulo Infimo.

Subijcere Infimum Subalterno: in 103

EUbulus. Cùm quivis Subalternus habeat materiam, de qua aliquid negat, aut affirmat, diſcuſſis Subalternis recto ordine tranſimus ad eum titulum, per quem ea negatio, aut affirmatio exprimitur; ſeu, ut cum Philoſophis loquar, qui prædicatur de Generico, aut Specifico. Exemplum ſit hæc propoſi o. Humilitas eſt neceſſaria. En *Humilitas* Specificus. *Eſt* Subalternus dicitur: ne-

neceſſaria. Infimus eſt, quia neceſſitas prædicatur de Humilitate. Hunc Euſebi pulcherrimum titulum, ut ritè intelligas, ſciendum, quamvis Theſin eſſe quoddam compoſitum ex prædicato, & ſubjecto: ſeu eſſe artefactum, in quo duo invenit intellectus: unum, quod dicitur; alterum, de quo dicitur; hoc ſubjectum dicimus, illud prædicatum. Jam iſtud compoſitum eſt duplex; phyſicum,& morale. Phyſicum eſt, cùm prædicatum, & ſubjectum naturaliter cohæret, uti ſi dico. Sol eſt velox. Morale eſt, ſi rem in genere moris conſtitutam conſidero, per modum compoſiti phyſici, ac per quandam analogiam tribuo cauſas, quæ in rebus phyſicis inveniuntur, ſcilicet materialem, formalem, efficientem, finalem, & ſubjectum. Tale compoſitum eſt Regula S. P. N. Benedicti. Nam intellectus apprehendit ea, quæ præcipit, aut prohibet, ceu materiam Regulæ; illos, queis præcipit vocat ſubjecta ſcilicet Ciſtercienſes, Cluniacenſes &c. Ipſum S. Patriarcham vocat cauſam efficientem: modum ſeu formam ob-

obſervandi Regulam nuncupat cauſam formalem.

Signum compoſiti moralis in ordine ad methodum notandi dicimus, ſi in Theſi unum ex iſtis verbis, quæ in hoc dyſticho clauduntur, invenitur.

Vult, *Licet*, atque *Poteſt*, *valet* his conjungito *debet*;
Cúmque *Tenetur*, *Agit*, cúmque *videtur habet*.

Unde ſi quæras, an, quoties, & ubi in S. Regula *teneatur* Benedictinus ad ſilentium, præ manibus habes compoſitum morale, & ſilentium eſt cauſa materialis.

104 *materiâ phyſica ſub regulis quinque*

Jam Ars memoriæ præcipit, ut alia ratione exprimas Infimum in compoſito phyſico, alia in morali. In phyſico ſubjicis Subalterno ad eum prorſus modum, quo hîc ad initium c. 7. ſcriptum vides vocem *Infimum*; & ſequentes *Subalterno*: *in materia phyſica*, *morali*. En in hac vocula quinque puncta obſervantur, tibi in aliis Infimis tenenda. 1. ponitur remotus à margine, ut vox *ſubjicere* poſſit ſuam ſignificationem in ſequentes Infimos derivare. 2. ut ſignificatio dedu-

deducatur ab uno Infimo ad alium, ſemper ſequens unâ ſyllabâ magis removetur à margine. 3. niſi aliunde orthographia exigat, Infimus reſpicit initiô ſui litteram majorem, uti hîc vides *materia*. 4. præpoſitiones, particulæ conjungendi, aut ſeparandi, uti *vel*, *&*, *in*, *pro* &c. non efficiunt titulum, ſed illi voci, eo loco, quem ſenſus requirit, ponuntur, & fermè ſemper immediatè poſt verbum antecedens, uti hîc *in* vides. 5. ſervantur debitæ interpunctiones eo ritu, quem petit orthographia. Si tamen propoſi:o foret negativa, punctô interrogationis opus erit, quô tanquam notâ ſingulari in omnibus titulis diſcriminatur ab affirmativâ.

105 *morali* At longè aliâ methodo in theſi juxta definitam rationem morali Infimus formandus eſt. Cùm enim ſenſu ſuæ cauſæ ſubjiciatur, calamô etiam ſubjici debet. Cauſa ergo Subalternus, Infimus res ſubjecta cauſæ erit. Exemplum præbet Regula S. P. N. Ad quæ ex S. Regula tenentur Benedictini, ſunt cauſa materialis Regulæ; qui tenentur ſunt ſubjectum; qui Regulam effecerunt, ſunt Spiritus

tus S. S. Pater &c. Modi, qui ad ſervandam Regulam requiruntur, ſunt cauſa formalis. His ergo poſitis in titulo *Regula* exprimis. *Materialis*, *Subjectum*, *Efficiens*, *Formalis* eodem ritu in margine majori, quem obſervandum eſſe in aliis Subalternis c. 3. oſtendi. Illa dein, quæ præcipiuntur, per ſubſtantiva, aut verba, prout ſenſus exigit, ad eum modum ſubijcis, quo de compoſito phyſico diximus ſervatis illis quinque regulis. Ne autem cauſæ miſceantur, cuivis relinquitur ſpatium vacuum pro fæcunditate materiæ, magnum; aut ſterilitate parvum. Si impleveris ſpatium vacuum, in ſequentibus paginis per *puram Citationem* deſignabis, aliud relinquis. Ut autem inter cauſas ſervetur ordo, primas dabis cauſæ materiali, ſecundas ſubjectis, tertium locum cedis objectis, efficientibus quartum, ultimum Formali: finalis enim in excerptis locum ſingularem nunquam requirit. Seriem in memoriæ fulcimentum habes in hoc S. Patris elogio.

Non totus quondam Benedictum
cœperat orbis:

Major ſelectis omnibus ergo
fuit.

Major tibi innuit cauſam materialem, Subjectum *Selectis*, *omnibus* objectum *Ergo* Efficientem, & demum *fuit* formalem. Unde ſiqua res tam cauſam materialem, quàm e. g. efficientem involvit, refertur ad materialem eíque debitâ particulâ annectitur efficiens. Exemplum dat nobis Epiſcopus ex ordine noſtro aſſumptus, ſi de eo quæris, an teneatur vi Regulæ ad paupertatem? Reſpondeo affirmativè, & ſic excerpis ad titulum *Regula* ſub Subalterno in majori margine poſito *Materialis.*

Paupertas pro
Epiſcopo
aſſumpto è
noſtris.

Argumenta leges, & regulam, queis id probes, refers more conſueto in medium. Par ratio eſt de aliis cauſis, ſi concurrant. Ut autem uno obtutu videas, quî una cauſa alteri connectatur, hanc tabellam inſpice.

1. Materialis	3	1	4	2	4
2. Subjectum	3	1	4	4	2
3. Objectum	3	1	4	4	4
4. Efficiens	3	4	1	1	1
5. Formalis	4	1	3	3	3
1. per 2. pro 3. cum, aut alia	Formalis	Efficiens	Objectum	Subjectum	Materialis

particula ſignificans modum exigit ablativum abſolutè poſitum.

4. nihil: ex tabula enim concurſus patebit, hîc duas cauſas vix poſſe concurrere: ſi tamen contingeret, necterentur per particulam, *ad*.

5. ablativus abſolutè poſitus. Adi ſchema I. c. 13. cauſam formalem. Dubitas ergo, qua ratione ſit excerpenda hæc e. g. propoſitio. B. V. Maria debebat pluribus obedientiam uti S. Joſepho. En afficitur titulus *Lex*, cujus cauſa materialis eſt *obedientia*, ſubjectum *B. V.* Cauſa efficiens *plures.* Quære jam in tabula recto ordine ſcriptam cauſam materialem, dein perge in adverſam partem ad Subjectum, & ſic ducéris ad numerum 2. tabu-

læ; ille dein deducet te in latere ad particulam *pro*. Habes ergo jam

Obedientia pro
B. V.

Dein eodem ritu à Subjecto deſcende ad cauſam efficientem, ſicque ducéris ad numerum primum, cui reſpondet *per*.

Ergo tota propoſitio ſic excerpitur.

Obedientia pro
B. V. per
plures.

Euſebius. Capio, & capior hoc tanto doctrinæ compendio: video, quàm levi operâ poſſim ſubiungere omnes alios, qui ad obedientiam obligantur: monſtres tamen velim, quinam tituli per cauſas incedant. *Eubulus* Obſecundo votis, cum nos dicendorum ſeries illuc deduxerit. Pro colophone ſolùm addo, ut notes in his titulis diviſiones, ac de iis traditas regulas; veluti an aliquis ſtringatur Lege divina, an humana, præcipiente, an prohibente? eæ enim ut diximus, & vides infra c. 13 ſchemate primo in voculis ſignatis n. 6, debent ſubduci. Demum Infimus in illo marginis loco ponitur, ubi ejus materia in media poſita inchoatur.

CA-

CAPUT VIII.

De Libris Artis Memoriæ.

EUbulus. Habes jam Euſebi expeditam rationem totius univerſi memoranda in rem tuam litterariam convertendi. Tituli Generici, Specifici, & Vagi ſunt veluti armamentaria; Subalterni, & Infimi in armamentariis ordo. Eum ſi ſervaveris, quæque arma poteris pro lubitu tuo promptè proferre. At ne illi ipſi Generici incerto loco vagentur, ratio quærenda eſt, quâ in certum ordinem redigantur. Ordo autem inducitur, ſi omnes titulos cognatos in unum librum conducis, ut, velut in unum Genericum omnes cognati Subalterni confluunt, ita in unum librum omnes cognati tituli Generici deriventur. Et hanc cognationem Ars Memoriæ jubet eſſe decuplam. Nam alia ſunt de Sacramentis, de Angelis alia, alia de Sanctis. Alia virtutes, alia peccata dicimus. Demum alia profana, alia ſacra, aut mixta nuncupamus. Itaque tituli, qui confluunt ad DEUM, efficiunt librum primum; qui agunt de Chriſto, conſtitu-

106 *Dividere excerpta in libros de*

ſtituunt ſecundum, & ſic deinceps. Omnes decem libros his verſibus collectos ſiſto.

Primus habet Numen, Chriſtúmque ſecundus, adornat
Virgo Parens ſequum, quartus Baptiſmate gaudet.
Angelus eſt quintus, Sanctorum gloria ſextus.
Septimus eſt Virtus, octavus Crimina narrat.

Jamque cujusvis libri titulos in unam thecam, aut ſi una non capiat, in plures collocas, ac tergori debitam partem horum verſuum inſcribis. *Euſebius.* Sed quosnam Genericos, aut ſpecificos pro ſingulis libris formandos ſuades? *Eubulus* optimus hîc magiſter ſyncerus, & nullo ſiniſtro affectu adulteratus litterarum amor, ac litteris præfixus finis. Ut tamen è meis titulis quandam imaginem capias efformandis tuis, ordine tibi librorum ſingulos recenſeo ſubjectis quibusdam exemplis. Itaque in libro de DEO numero ſequentes.

107 *DEO.* *DEUS.* Hîc invenio ſimiles Subalternos. Cognoſcitur &c. Diviſus

viſus Trinitas, Pater, Verbum, Spiritus S.

Attributa DEI. Huc deducitur Æternitas, Sapientia &c. DEI. Specificos ex attributis divinis educo ſequentes aſcetæ utiles:

Charitas DEI. Hîc attende obliquos: Erga hominem. Erga Angelos. B. V. erga Chriſtum &c.

Judicium DEI. Ubi diviſus Particulare, Extremum &c.

Juſtitia DEI. Nota diviſos: Erga luxurioſos. Pro his diviſis adi c. 13. ſchema 7. & nota voculas ſignatas n. 6.

Miſericordia DEI. Omnia, ut de charitate.

Chriſtus. Huc veniunt, quæ ad nullum ſpecificum de Chriſto ſpectant. *108 Chriſti.*

Aſcenſio Chriſti: exigit circumſtantias. Exhibetur Sanctis in extaſi &c.

Charitas Chriſti. Nota obliquos. Erga DEUM. Erga hominem. In Euchariſtia.

Corpus Chriſti. Huc deducuntur membra: cor, oculi, Subalterni affectionem corporis ſignificantes, uti: eſt pulcher.

Cultus Chriſti. Nota Hîc actus habituum in infinitivo exprimendos e.g. offerre Patri æterno ſanguinem Chriſti : nota obliquos in præſepio ; reſurgentis.

Genealogia Chriſti : Huc juxta regulas de Perſonis determinatis duco omnes conſanguineos Chriſti SS. Annam, Zachariam, Eliſabetham, Joannem Bapt.

Gloria Chriſti : huc ferto, quæ Humanitati Chriſti in cœlo conveniunt.

Gratia Chriſti. Habet ea, de quibus multa diſputant Theologi.

Nativitas Chriſti. exigit circumſtantias, laudes ; uti. Naſcitur angelis canentibus, in ſtabulo : cur ?

Paſſio Chriſti. Hîc nota ſis obliquos. flagellati, coronati &c. Unde ſi velis notare illuſiones, ſcribis juxta Diviſionis regulas : Illuſi.

Cultus Paſſionis Chriſti. obliqui : flagellati : actus in infinitivo.

Vulnus Chriſti. obliqui. lateris &c. Imprimuntur Sanctis.

109 *B. V. Mariâ*

Eadem methodo formabis titulos libri tertii de B. V. Ac quidem primo.

B. Vir-

B. Virgo. vindicat ſibi ea, quæ ad nullum ſequentium titulorum ſpectant.

Annuntiatio B. V. turbatur. Videt eſſentiam DEI.

Aſſumptio B. V. Exhibetur, Celebratur plauſu magno.

Charitas B V. Nota obliquos Erga DEUM, Chriſtum, hominem.

Conceptio B. V. Subductus Immaculata, Impugnatur, Defenditur à noſtris.

Corpus B. V. vide quæ de corpore Chriſti diximus.

Cultus B. V. Obliqui. Aſſumptæ, Immaculatæ. Modi referuntur in infinitivo, ut Eligere in Matrem.

Excellentia B. V. Huc refero prærogativas prorſus ſingulares uti. Caret fomite peccati.

Gloria B. V. Diviſus, Accidentalis. Eſt maior, quàm Beatorum.

Gratia B. V. Prima. Finalis &c. ſunt diviſi.

Imago B. V. Vilgertshovenſis, lapidea &c. ſunt diviſi, Invenitur prodigiosè, ſudat.

Imperium B. V. Huc derivatur regia ejus poteſtas, & potentia in hoſtes noſtros.

Martyrium B. V. Huc deduco magnos ejus dolores obſervatis obliquis : In paſſione Chriſti.

Miſericordia B. V. Obliqui : Erga animas purgatorij. Erga peccatores. Vindicat ſibi hic Specificus omnia, quæ B. V. præſtat miſeris.

Mors B. V. Sepelitur. circumſtantiæ.

Nativitas B. V. Adoratur ab angelis.

Præſentatio B. V. Nutritur ab angelis in templo.

Purificatio B.V. Incipit celebrari.

Roſarium. B. V. Eſt utile. Propagatur. Liberat à damnatione.

Scientia B. V. Diviſi, Theologia, Rhetorica &c.

Virtus B. V. Diviſi: Conformitas. Spes, obedientia. Virginitas, Paupertas.

Viſitatio B. V. Tranſit Hieroſolymis. In his tribus libris notanda ſunt, quæ c. 2. de titulo Specifico permanente diximus ; ubi monſtravimus Suablternum efformandum eſſe ſub ſenſu reduplicativo. Unde ſi legas quendam à B. V. ut viſitata invocata liberatum ab interitu, ita ſcribis ad titulum Viſitatio B. V.

Liberat ab
interitu.

Eo-

Eodem modo efferres ad titulum Roſarium B. V. ſi legas aliquem à B.V. Roſario invocata reſuſcitatum.

Reſuſcitat
confoſſum.

Et hanc legem potiſſimum notes, ſi tractas virtutes, aut Feſta Chriſti, vel Beatiſſimæ ejus Matris.

110 Sacramentis.

Veniamus jam ad Sacramenta, de quibus omnibus, cùm ſingula per cauſas incedant, notes, quæ dicta ſunt. c. 7. Ac quidem ad cauſam materialem ſpectat res, quâ confeRuntur ſacramenta, ut in Baptiſmo aqua. Subjectum ſunt perſonæ, quibus conferuntur. Efficiens ſunt illi, qui diſpenſant; formalis ſunt requiſita, & ipſa forma. In Sacramento Pœnitentiæ cauſa materialis ſunt peccata. Unde ſi quæras an in articulo mortis poſſit quivis ſacerdos â peccatis reſervatis abſolvere, ſic effers ad cauſam materialem Pœnitentiæ.

Peccata
reſervata per
ſacerdotem
quemvis in
articulo mortis.

Por-

Porro cùm ſacramenta numero ſubdantur, proderit quodvis ſuo numero exprimere hoc modo. I. Baptiſmus. II. Confirmatio. &c. Si velis ex aliquo Sacramento Specificum quendam educere, præfigis ipſi numerum, quo ipſum Sacramentum ſignatum eſt. ut.

III. Cultus SS. Evchariſtiæ.

Cæterum è Sac. Matrimonij utiliter educes ſequentes Specificos.

VII. Divortium. Incedit per cauſas. Nota potiſſimum requiſita ad divortium; quæ ſpectant ad cauſam formalem.

VII. Impedimentum Matrimonij. Nota diviſiones. Dirimens. Impediens.

VII. Sponſalia. Incedit per cauſas hic titulus. ſed cùm contrahentes ſint cauſa efficiens, & ſubjectum, caret ſubjecto. Siquæ verò de Sponſalibus afferuntur proprietates, effectus &c. quæ in cauſis non inveniuntur, efferes lege ordinaria, & ſcribis e. g. ad

Sponſalia
ſunt
neceſſaria,
juris
naturæ.

At-

Atque hæc ad omnes titulos, qui per cauſas incedunt, extende.

Liber quintus paucos numerat titulos, fæcundos tamen, & frequenti uſui aptiſſimos. Eſt ergo primus. 111 *Angelus*

Angelus. Nota diviſos. Michael, Gabriel, Seraphim, Cherubim, Chorus, ordo &c.

Cultus Angelorum. Quo affectu colendi ſint, exprimuntur in infinitivo. e. g. Abſtinere mendacio.

Angelus Cuſtos. omnia, ut de angelis.

Cultus angeli cuſtodis. uti de cultu angeli.

Dæmon. Nota diviſiones: Lucifer, & quæ hominibus intulerunt, ſubeunt Subalternos. Amplam materiem hic titulus recipit ex Vitis ſanctorum.

CAPUT IX.

Recenſentur tituli reliquorum librorum.

EUbulus. omni eruditione, & utilitate plenus, eſt liber ſextus, & ſeptimus: hic virtutes Sanctorum, ille ipſos Sanctos exhibet ſequentibus titulis. 112 *Sanctis.*

San-

Sanctus. Huc ſpectant ea tantùm, quæ de Sanctis in vita exiſtentibus dicuntur, uti Apparet in duplici loco, & cedit omnibus titulis, velut in tabula concurſus c. ſequenti videbis. Nota quoque hîc diviſiones: Martyr. Virgo. Vidua.

S. Apoſtolus. obſerva diviſiones. Petrus, Paulus, & quæ de perſonis determinatis dicta ſunt.

S. Benedictus. Quotiescunque. S.[mûs] Patriarcha in recto afficitur, toties huc refers notanda. Idem tene, ſi aliam perſonam determinaveris. Adi c. 13. tabulam 4.

SS. Cælites. Imbibit hic titulus geſta miranda Cœlitum. Nota diviſiones uti S. Laurentius.

SS. Parvuli. Sibi vindicat ea, quæ ſancti ab incunabulis usque ad adoleſcentiam geſſerunt. Nota ſis diviſiones.

Cultus SS. Modus colendi refertur in infinitivo e.g. gratulari gloriam. Attende obliquos e.g. Apoſtolorum.

Mors SS. Exigit hic titulus memoranda, quæ Sancti in morte geſſerunt e.g. Canit. Inviſitur ab angelis. Sanctus, cujus mors de-

ſcri-

ſcribitur, ſubducitur initiô lineæ. *Euſebius.* Ex his titulis facilè alios educi poſſe, prout finis ſtudiorum petierit, dilucidè perſpicio. *Eubulus.* Ad virtutem ergo gradum faciamus, ac imprimis ſciendum virtutem dividi in moralem, & Theologicam. Hæc triplex eſt Fides, Spes, & Charitas: illa quadruplex Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia. Ex ſingulis ceu fæcundis matribus naſcuntur pulcherrimæ filiæ matri ſimillimæ. Ex fide naſcitur, Meditatio, Contemplatio, Contemptus mundi, & Puritas cordis. Spes parit Fiduciam, & Timorem tam DEI, quàm peccati. Charitatis autem filias dicimus tam Charitatem DEI, quàm proximi, Zelum animarum, Gaudium, Pacem, Miſericordiam, & Beneficentiam.

113 *Virtutibus*

Prudentia moralium prima gignit Diſcretionem, Docilitatem, circumſpectionem. & ſolicitudinem. Ex Juſtitia prodit Religio, Pœnitentia, Pietas, Obſervantia, Obedientia, Gratitudo, Veritas, Simplicitas, amicitia, & Liberalitas. Fortitudini debemus Magnanimitatem, Securitatem, Magnificentiam, Patientiam, Longanimitatem,

tem, Perſeverantiam, ac Conſtantiam. Denique ex Temperantia naſcitur Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, Virginitas, Pudicitia, Maceratio, Manſuetudo, Clementia, Humilitas, Paupertas, Studioſitas, Taciturnitas, & demum Modeſtia.

Ex his cuivis facilè eſt Specificos educere: ego ſequentes eduxi.

Virtus. Nota diviſos Theologica, Moralis, Aquiſita, Infuſa, Perfectio ſpiritualis, Cura Minimorum. Actus in infinitivo.

Caſtitas. Qui fuerunt caſti, in genitivo ſubducuntur, quæ amore caſtitatis fecêre, abeunt in infinitivum.

Charitas Nota obliquos Erga Inimicos, Erga proximum.

Conformitas. attende obliquos. In morbis. In deſolatione.

Fides. Noſti Euſebi omnibus virtutibus ſuum eſſe objectum. Si id ergo fuſum eſt, quale fidei eſſe nemo non videt, eodem ritu procedendum erit, quem c. 7. monſtravimus, objectum ergo fit Subalternus, quæ de fide ſunt, per modum Infimi ſubjiciuntur, hoc modo.

ob-

Objectum:
Virginitas B. V.
præſentia
DEI in
Evchariſtia

Idem ſenti de aliis virtutibus, præcipuè de Liberalitate, Patientia, & Obedientia.

Fortitudo. Huc per modum diviſi ſpectant Filiæ, de quibus paulo ante n. 113.

Humilitas. Cognitio ſui. Cætera, ut de caſtitate dixi.

Juſtitia. aſciſcit ſibi ſuas filias, uti Fortitudo ſolet: multam connexionem habet cum Vago *Pœna.* Memineris quoque diviſionum. Legalis, Diſtributiva.

Miſericordia. Attende obliquos. Erga defunctos, Erga inopes.

Obedientia. Da curam diviſioni. Cæca, Prompta, Actus in infinitivo.

Patientia. Quæcunque tolerata ſunt patienter, in infinitivo, uti: Eſurire, Incarcerari octenniô.

Idem judicium eſto de ſequentibus Specificis: *Paupertas, Pœnitentia, Prudentia. Religio. Spes, Taciturnitas, Temperantia*, & *Zelus.* Ad Pœnitentiam ſpectant ii rigores, qui aſ-

ſumuntur ad delenda peccata præterita; ad Zelum autem, qui aſſumuntur ad lucrandum animas. Ex his colligere licet, titulos ordine alphabetico collocandos eſſe; excipe Specificos permanentes, qui ſequuntur immediatè ſuum Genericum, uti c. antecedenti. poſt titulum *Paſſio Chriſti*; ſtatim collocatur *Cultus Paſſionis Chriſti.* Hæc de virtutibus.

114 *Peccatis,* Sed difficilior eſt coordinatio libri octavi de peccatis. Utiliſſimi tituli videntur ſequentes.

Peccatum Capitale. Huc refertur avaritia, Luxuria. &c. per modum diviſi. Quæ fiunt ex avaritia e. g. petunt efferri in infinitivo.

Infidelitas. petit ad ritum diviſionum omnes ſectas contra fidem catholicam militantes; uti eſt Idololatria, Hæreſis, Judaiſmus, Machometiſmus. Quæ hæretici ob hæreſim auſi ſunt, notantur in infinitivo.

Vitium. cura diviſos Judicium proprium, Voluntas propria, Reſpectus humanus.

Cætera peccata ad unum ex his titulis reducuntur, niſi malis peccata e. g. capitalia in Specificos efformare.

Ut

Ut tandem titulos libri noni, & decimi in debitum ordinem ritè diſpenſemus, notandum Euſebi res alias eſſe ſacras, alias profanas: ſeu alias ordinari ad uſum ſacrum, alias adprofanum. Quæ ad profanum uſum conferunt, librum nonũ; quæ ad ſacrum, decimum conficiunt. Libri noni titulos numero iſtos. 115 *Profanis.*

Animal. Diviſiones Leo, Aquila, Carpio, Piſcis, Avis, Serpens, Vermis.

Conſuetudo. Incedit per cauſas. Quæ conſuetudine induci poſſunt, referuntur ad cauſam materialem; qui inducunt conſuetudinem, ad efficientem. Qui obligantur conſuetudine, ſunt Subjectum, & requiſita pertinent ad cauſam formalem.

Contractus. Ingreditur cauſas, uti conſuetudo. Nota, ſpecies contractuum ſubducuntur non ſolùm extra cauſas, ſed etiam intrà eaſdem, ita quidem, ut omnes omnium contractuum materiæ in unum locum convehantur.

Cælum. comprehendit ſtellas, planetas, ſolem, lunam, ſingula initio lineæ. Repete n. 90.

Electio ingreditur *Cauſas*, uti Contractus. Dignitas, ad quam eligitur aliquis, eſt materialis; qui eligitur, ſubjectum; qui eligunt, efficiens cauſa ſunt.

Elementum. Ignis, aër, aqua, terra: ex iſtis huc trahuntur incendia, venti, maria, flumina, regna, fructus arborum, & ipſæ arbores juxta regulam c. 3. p. 2. cauſas effectibus auge, niſi velis Terram ob tot regna, ſi hæc deſcribere velis, Specificum efficere.

Judicium ſibi vindicat per *cauſas*, ſicut de contractu diximus, omnes titulos l. 2. Decretalium.

Jus. habet diviſiones varias, uti Proprietatis, incedit per cauſas. Jus ut ſcientia ſpectat ad titulum Scientia, uti Jus Canonicum, Civile, Bavaricum, ad quæ autem obligant hæc jura, ſibi aſciſcit Lex.

Lex. titulus longè utiliſſimus. Quæ præcipiuntur jure, aut lege quadam, abeunt ad cauſam materialem, cui præcipitur, removetur ad ſubjectum: qui præcipit, ad efficientem. Cùm autem hujus tituli cauſa materialis ſit prolixa, Jurisprudentiæ ſtudioſus ſaltem

tres

tres quaterniones notandæ materiæ vacuos relinquet.

Paſſio ſibi jungit undecim animi paſſiones, amorem, odium &c. earum actus, luctum, lachrymas &c.

Præſcriptio petit totum titulum 26. l. 2. Decretalium. Incedit per *Cauſas*. Quæ præſcribuntur, ſunt cauſa materialis.

Privilegium exigit titulum 33. l. 5. Decret: gaudet etiam cauſis.

Scientia petit ſpecies ſcientiarum, uti eſt Poëſis, Rhetorica, Philoſophia, Militia &c. & earum objecta, ut carmen, Locos, figuras, terminos, Prædicamenta &c. Quòd ſi malis aliquam ſcientiam e. g. Rhetoricam titulum Specificum, ille ſibi accerſet locos, Figuras, & cæteras partes Rhetorices.

Quin ſi velis unam, vel plures partes Specificos, optimè agis, ſi ita finis ſtudiorum tuorum exigit; attende tamen, an formes Specificum permanentem, aut tranſeuntem, h. e. an ſcribas e. g. Figura Rhetorices, an Figura tantùm. Si primum, collocas

juxta dicta immediatè poſt Rhetoricam; ſi ſecundum, migrat ad F. & exigit etiam alias figuras, ſed uti Rhetorices, in obliquo.

Senſus habet viſum, auditum &c. item objecta ſenſuum, colores, voces, ſonos, ſitim, famem, varia genera potuum, & ciborum. Omnia ut de Subalterno majori c. 4. p. 2. Diximus.

Plures alios titulos ad hunc librum ſpectantes ſuppeditabit Jus Can. aut Civile, qui juxta dicta facilè formari poſſunt. In hujus libri uſu ames velim *puram Citationem*

116 *Sacrantibus* Demum liber decimus, quem à materia dicimus Mixta, Miſcellanea, aut Sacrantia, pulcherrimis titulis abundat. Ex illis tibi iſtos exhibeo.

Actio poſtulat ſpecies, & diviſiones actionum, uti Interna, Externa, Humana, Moralis, Perfecta, varios labores, & occupationes; actiones intellectûs, voluntatis, uti propoſitum &c.

Anima abit in varias diviſiones, uti Rationalis, Damnata, Beata, purgatorij. Subalterni majores intellectus, voluntas, & memoria.

Bea-

Beatitudo habet diviſiones Naturalis, Supernaturalis, Voluptates varias, & delitias, felicitatem quoque omnimodam. Lumen gloriæ.

Cenſura poſtulat Excommunicationem, Suſpenſionem, & interdictum per cauſas.

Conſcientia. Bona, Mala, Scrupuloſa. Petit potiſſimùm ea, quæ tractat Theologia Moralis.

Converſio mancipat ſibi obliquos Ad Fidem, ad ordinem Religioſum e. g. S. Benedicti. Actio qua aliquis convertitur, aut quæ intuitu converſionis facta fuit, effertur in infinitivo, uti Præcipitari in foveam. vide dicta p. 2. c. 2. regulam quintam de titulo Specifico n. 79. Habet hic titulus magnam cognationem cum Vago Converſio; in quo differant, habes c. 4. p. 2.

Diſpenſatio ingreditur cauſas, éſtq; utilis Theologo Morali. Qui diſpenſat, eſt cauſa efficiens.

Gratia prolixus titulus eſt, & eruditus, habet varios diviſos, uti ſunt Sanctificans, Excitans, Gratis data. Gratia Prophetiæ, ſcientiæ, & reliqua dona Spiritus Sancti. Quæ fiunt

ex gratia in infinitivo effers juxta dicta p. 2. c. 2. n. 79.

Indulgentia gaudet cauſis, & variis, diviſionibus, uti Plenariæ, Quadragenæ. Res affectæ Indulgentiis, ſunt cauſa materialis; cui conceduntur, ſubjectum; qui concedit efficiens.

Intentio ſumit diviſiones varias ut Recta, ſiniſtra. Hîc iterum nota regulam quintam ſpecifici c. 2. p. 2. n. 79.

Meritum exigit cauſas; ad materialem trahit, quæ mereri poſſumus, ad efficientem eos, qui mereri poſſunt; caret autem ſubjecto.

Mors impletur variis diviſionibus, ut Bona, Mala, Peccatorum &c. Juſtorum. Ratio, qua aliquis ſe parat ad mortem, ſpectat ad M. *Induſtria.*

Regula effert materiem ampliſſimæ eruditionis per varias diviſiones, ut ſunt, Juridica, Religioſa. S. Benedicti &c. Incedit præterea per *Cauſas*, Quæ in Regula præcipiuntur, imbibit cauſa materialis; queis præcipiuntur, ſubjectum. Quæ amore Regulæ fiunt, in infinitivum deducito.

S. Scrip-

S. Scriptura. Sibi accerſit rem omnem Verbi divini, ejúsque diviſiones Evangelium, Epiſtolas, Apocalypſin, Pſalmos, ut ritè notes ea, quæ amore S. Scripturæ facta ſunt, obſerva regulam quintam p. 2. c. 2. n. 79.

Status abit in ſequentes diviſiones: Religioſus, S. Benedicti, S. Auguſtini, Eccleſia. Huc pertinent variæ dignitates, officia Regum, & principium, veluti conſulatus, Cardinalatus, Papatus. Et hæc omnia per leges ſubductorum, quales ſunt obliqui, & diviſiones.

Perſona Status poſtulat omnium ſtatuum perſonas; quoties, qua tales afficiuntur; uti ſunt Papa, Cardinalis, Religioſus, Benedictinus, Parochus. Si tamen quæritur de eorum obligationibus, referuntur ad eum titulum, qui fert obligationem, uti hæc propoſitio. Papa non tenetur lege Eccleſiaſtica; ſpectat ad ſubjectum Legis. Si Quæritur, quommodo ſe quævis perſona gerere debeat in ſuo ſtatu, aut officio, refers ad Induſtrias e. g. documenta ſingularia pro ſtudioſo ad *S. Induſtria.*

Votum complectitur vota religioſa; incedit per *cauſas*, qui poſſunt vovere, aut emittere e. g. profeſſionem religioſam, ſunt cauſa efficiens, quæ vovemus, ſunt cauſa materialis. Caret ſubjecto, ut patet; cauſam docebit Theologia.

Templum claudit varias diviſiones uti Salomonis. Reverentia, quam DEO in templis debemus, ſpectat ad Religionem.

Atque Hæc Euſebi de titulis dicta ſint, non quòd velim omnes adducere, ſed ut veluti digitô monſtrem viam, quam aggrediaris ad alios ſtudiis, & ſcopo litterarum tuarum utiles conficiendos: cætera magiſtra prudentia docebit.

CAPUT X.

De concurſu librorum, & Titulorum.

117 *Diſcriminare*

EUſebius. Totam mentem meam Eubule aurem feciſti: quod titulos ex ore tuo audivi, tot manipulos legi, quibus litterarum mearum horrea locupletem: faxit DEUS, ut his manipulis ceu ſementibus utar, quæ

quæ brevì in amplam protuberent divini honoris ſementem. Sunt tamen, quæ prurientem ad excerpendum animum, & calamum morantur. Cùm recenſitos librorum titulos intueor, videre mihi videor varias omnis generis fruges, miſtas tamen, & quadam confuſione turbatas. Video triticum, miror ſiliginem, ſuſpicio arincam, amplector hordeum, intueor oryzam, dilaudo orionem; ſed jucundiſſimum animi aſpectum turbat mixtura inimica Muſis, & ingeniis infeſtiſſima. Nam eadem ſæpe e.g. hiſtoria, aut facinus memorandum habet aliquid de tritico, quod ſpectet ad librum primum de DEO; aliquid de ſiligine, quod petat librum ſecundum deChriſto. Quid quòd una, eadémque eruditio calamô digniſſima pro varia ſui parte ad tres, quatuor, aut quinque titulos referri poſtulat. Quam ergo methodum doces Eubule, ut triticum à ſiligine, arincam ab hordeo, oryzam ab orione ſeparem? *Eubulus* Mea in te ſtudia prævertis ingeniô, & ad viæ terminum, quam pedibus conficiundam, & per moras aſſumpſi, volatu properas. Jam ergo artem tra-

do

do doctrinæ fruges ad minimum usque granulum diſcriminandi,

118 *libros* Sciendum itaque libros excerptorum eo ordine comprehendi, quem c. 8. deſcripſi, ita, ut primus agat de DEO, ſecundus de Chriſto &c. juxta verſus ibidem allatos. Itaque titulus dodrantaliter ſcriptus, ſi agit de Deo, ſpectat ad librum primum; ſi de Chriſto ad ſecundum, & ſic deinceps.

titulos librorum. Ne autem tituli in unum librum, ſeu Thecam congeſti miſceantur, ordine alphabetico collocandi ſunt, uti c. 8. & 9. diſpoſitos vidiſti. Excipe titulos ſpecificos permanentes, qui im̃ediatè ponuntur ab eo titulo, à quo educuntur, uti c. antecedenti *Perſona ſtatus* ponitur poſt titulum *Status.* Si primos duos quaterniones ſibi conſertos calami induſtriis impleveris, iterum alios eodem ritu conſertos ſufficis, ac quamvis folii partem ſuo numero deſignas, nomen autem tituli ſcribis lineâ adverſâ in minori margine, uti diximus c. 2. de ſchemate Generici & Specifici n. 78.

119 *materiem titulorum, & librorum per* Quòd ſi verò, una eadémque eruditio videatur ſpectare ad varios titulos non ſolùm unius libri, ſed etiam diver-

diverſi, attendenda eſt dignitas titulorum; ac is, qui alterum dignitate præcedit, ſibi præ illô vindicat materiam. Tituli autem ejusdem nominis præſtant aliis, ſi ſpectent ad librum ſuperiorem, quàm alii; atque adeo omnes Specifici libri primi ſunt præſtantiores, quàm Specifici ad librum ſecundum ſpectantes. Si autem tituli, de quorum dignitate dubitas, non ſint ejusdem naturæ, ſed unus Genericus, alter Specificus, tertius perſona determinata &c. hunc ordinem dignitatis ſervant.

1 Perſona determinata.
2 Cauſa materialis.
3 Subjectum.
4 Cauſa efficiens.
5 Cauſa formalis.
6 Objectum.
7 Vagus.
8 Specificus permanens.
9 - Tranſiens.
10 Genericus.
11 Subalternus Major.
12 Subalternus Minor.
13 - Deus, Sanctus.
14 - - Infimus.

Obje-

Objectum hîc intellige eo modo ſumptum, quem diximus c. 9. cùm objectum declaravimus. DEus, & Sanctus cedunt omnibus titulis, & nunquam afficiuntur, niſi omnis alius abſit. Concurrant ergo in uno facinore, quæ ſpectent ad Perſonam determinatam, & cauſam Materialem, tunc ſcribis facinus totum ad titulum Perſonæ determinatæ. Idem judicium eſto, ſi eadem res uno reſpectu pertineat ad cauſam materialem, ſecundum alium autem ad ſubjectum; ac iterum refers ad cauſam materialem utpote ordine ſubjecto priorem.

Hic concurſus potiſſimum locum habet in re hiſtorica, & factis tum raris, cum magnificis. Nam ſi facinus quoddam activè profers, prodit alius titulus, quàm ſi paſſivè pronunties. Exemplum ſit hæc propoſitio. Angelus præbet SS Euchariſtiam. Ea ſic afficitur Angelus. Si autem dicas. SS. Euchariſtia præbetur ab angelo, afficitur Euchariſtia. Dubitas jam ad quemnam titulum hæc propoſitio ſcri-

Tabula Concurſûs.

Perſona determinata	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	1	15
2 Cauſa materialis	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	15	1.
3 Subjectum	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	15	2	1.
4 Cauſa efficiens	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	15	3	2	1.
5 Cauſa formalis	5	5	5	5	5	5	5	5	5	15	4	3	2	1.
6 Objectum	6	6	6	6	6	6	6	6	15	5	4	3	2	1.
7 Vagus	7	7	7	7	7	7	7	15	6	5	4	3	2	1.
8 Specificus Permanens	8	8	8	8	8	8	15	7	6	5	4	3	2	1.
9 Spec. Tranſiens	9	9	9	9	9	15	8	7	6	5	4	3	2	1.
10 Genericus	10	10	10	10	15	9	8	7	6	5	4	3	2	1.
11 Subalternus Major	11	11	11	15	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1.
12 Subalternus Minor	12	12	15	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1.
13 Deus, & Sanctus	13	15	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1.
14 Infimus.	15	13	12	11	10	9	8	7	6	5	4	3	2	1.
	Infimus 14	Deus, & Sanctus 13	Subalternus Minor 12	Subalternus Major 11	Genericus 10	Specificus Tranſiens 9	Specificus Permanens 8	Vagus 7	Objectum 6	Cauſa formalis 5	Cauſa efficiens 4	Subjectum 3	Cauſa materialis 2	Perſona determinata 1

1. Perſona determinata de hoc titulo diximus p. 2. c. 2. & toties afficitur, quoties perſona in recto poteſt pronuntiari. n. 79.

2. Cauſa materialis habet locum in ſolis compoſitis moralibus. Adi p. 2. c. 7. n. 105.

ſcrib debeat ? attende, quinam alterum præcedat dignitate. Cùm igitur uterque Generico æquivaleat, attenditur ordo librorum, & præfertur titulus *Euchariſtia* titulo *Angelus* :

Cùm hic ſpectet ad librum quintum, illa ad quartum. Ut hæc omnia paucis animo, & oculis repræſentem, hanc tabulam inſpiciendam præbeo. 12. tabulam concurſûs.

Tabula

3. Subjectum ſibi vindicat, quæ in aliqua re moraliter ſubjiciuntur. Vide citatum c. 7.
4. Cauſa efficiens aliquam rem moraliter conſtituit. Plura dabit c cit. 7.
5. Cauſa formalis conſtituitur ſolùm per requiſita, ad aliquam rem moralem.
6. Objectum locum habet potiorem in virtutibus, uti diximus c. 9. n. 113.
7. Vagus ſibi vindicat vagantia per unam aliquam lineam, uti habes c. 5. n. 94.
8. Specificus Permanens ſibi vindicat omnia, quæ ſub ejus reduplicatione inveniuntur, niſi titul præcedentes aliud exigant. vide c. 2. n. 79.
9. Tranſiens in omnibus ſequitur rationem Generici juxta c. 2. n. 78.
10. Genericus cedit Specificis permanentibus c. 2. n. 77.
11. Subalternus Major ut ritè fiat præferenda ſunt cæteris paribus ea ſynonyma, quorum initialis littera eſt proximior *a*, ſic ſi velis notare de enſe, Enſis fit Subalternus, & non gladius. Reviſe c. 4. n. 89.

12. Sub-

12. Subalternus Minor, idem attendit, quod Major, ac illud verbum effers, quod *a* proximius, & loco Diligere ſcribis Amare c. 3. plura n. 80.

13. DEUS, & Sanctus nunquam afficiuntur, niſi abſit omnis alius titulus, uti ſupra monuimus. Id exigit ratio, & natura titulorum. Cùm enim ferme omnia in Deum & Sanctos reducantur, absque hac lege cæteri tituli evacuarentur, & eorum materiem ſibi vendicarent omnem, & quamlibet.

14. Infimus fiunt illæ voces, in quas dividitur Subalternus, adeo quidem, ut ſemper ea, quæ dividitur, præponatur illi, in quam dividitur. Unde Subalternus in hoc capite ſcribitur.

Diſcriminare
libros, &
titulos
librorum per
tabulam
concursûs,

Errares, ſi ſic collocares hos titulos. Diſcriminare per tabulam concursûs librorum titulos. Inſpice c. 7. hujus partis.

15. hic numerus oſtendit, quòd ſi duo tituli ejusdem naturæ, uti duo Generici, duo Specifici concurrant, præferendum eſſe eum, qui alterum ordine librorum præcedit. In Vagis attenditur littera initialis, ſic Induſtria cedit titulo Auctor. Duarum cauſarum e.g. materialium illa eſt præſtantior, cujus Genericus alteri eminet.

Cùm itaque duo tituli concurrunt, dubitásque, quemnam alteri præferas, pone præſtantiorem (qui cenſetur hîc ordine præcedens) recta, alterum in adverſa parte tabulæ, ac inveſtiga numerum, in quo concurrunt. Si habes numerum, eum confer numeris ad calcem tabulæ appoſitis, ac illi titulo rem inſcribe, qui tibi per numerum deſignatur. Exemplum habes, ſi quæramus, an Religioſus teneatur ad Preces Canonicas. En hîc habemus Materiam Legis ſcilicet Breviarium, & Subalternum majorem ſcilicet Religioſum. Cùm itaque cauſa materialis præcedat Subalternum majorem, collocas Breviarium recta parte ad numerum 2. in adverſa autem parte ad numerum

rum 11. ponis Religioſum. Jam perge rectâ lineâ ad cauſam materialem, & ducéris ad numerum 2., hic numerus 2. oſtendet tibi ad calcem tabulæ Cauſam Materialem. Sic ergo ad cauſam Materialem Legis excerpe

Breviarium pro
Religioſo.

Eandem legem ſervabis in centenis aliis exemplis,ſic hæc propoſitio: angeli alunt B. V. in templo ſpectat ad Præſentationem B. V. nam titulus numeri 8. præcedit titulum numeri 10.

CAPUT XI.

De pura Citatione.

Ubulus Nucleum excerptorum aperire aggredior Euſebi, quem ſi ritè maſticaveris, næ famem non diſcendi ſolùm, ſed & docendi longè ardentiſſimam in mentis tuæ ſtomachô concitabo. Atque hunc nucleum ex merito appellamus *puram Citationem*, qua ſine in excerpendi ſtudio ſolos cortices tractabimus. 111 *Uſurpare citationem puram, ce*

eſſedum diſcendi ad

Eſt autem *pura Citatio* acervus quidam variæ eruditionis ad unam Theſin non laborioſo verborum plauſtro, ſed ſuavi numerorum eſſedô comportatus. Norunt, qui in litteris peregrini non ſunt, Theſin eſſe fundamentum ingentis fabricæ, ad quam exſtruendam magnus lapidum, calcis, ſabuli convehi debet apparatus. Arte ergo, & compendio opus eſt, ut hanc materiam ceu prudens architectus ad fabricam pares ſine multi temporis diſpendiô, ac labore non tam magno, quàm jucundo. Nunquam enim ſurget inſignis ædes, ſi artifex vires, quas fabricæ debuiſſet ſervare, in curas comportandæ materiæ jam exhauſit. *Euſebius*. Liberúmne me præſtabit ab hoc errore *pura Citatio? Eubulus*. Liberrimum: ſi dictis obſequioſam aurem, & exemplis prudentem donaveris ſequelam. *Euſebius*. Dic, & duc, totus ex ore tuo pendeo. *Eubulus*. Veluti voluntas bono trahitur, & paſcitur; ita intellectus verô afficitur, & nutritur. Atque uti voluntas negat ſuum amorem bono falſo, ita intellectus ſuum conſenſum vero apparenti. Ut igitur intelle-

materiem comportandam theſibus juxta

ctus

ctus conſentiat propoſitæ Theſi, rationibus veluti vinculatus ad conſenſum trahendus eſt. Qui proin cupit Arte Memoriæ intellectum gnaviter juvare, pari ſtudiô curare debet, ut intellectui verum proponat; ac, quæ propoſita ſunt, probet. Foret autem & fine ſtudendi, & viribus ingenii labor major, ſi initiô ſtatim quamvis Theſin variis rationibus fulcire vellemus. Itaque ut intellectum debitô nutrimentô paſcamus, nec tamen viribus majora aggrediamur, ſufficit incipiendi ad confirmandam Theſin eas tantùm rationes excerpere, quæ præ cæteris placent, aut ad præſentem fortunam conferre poſſunt. Id dogma ſi ſervaveris, erit tibi májor ad excerpendum, & ad ea, quæ excerpta ſunt, relegendum, temporis apparatus. Cúmque releges excerpta, occurrent multa, quæ magnam vim afferent, ad aliquam Theſin nunc hujus, nunc illius tituli comprobandam.

Eam fortunam Euſebi non ſines ſine compendio rei litterariæ dilabi, ſed per *puram Citationem* referes ſingula ad aptum titulum, & Theſin. Quid quòd non ſolùm unum titulum fœcundat alterô pura citatio, ſed

etiam ad libros, & integra volumina ſe ſe extendit tanto compendio, ut, quæ ſæpè integris quaternionibus vix poſſes complecti, illa paucis numeris
122 *exemplum* repræſentet. Exemplum & methodum tibi depromo ex meis exemplis L. 10. tit. *Perſona ſtatus*. Hîc invenio hanc theſin. Superior debet ſubditis præire exemplo, quæ juxta dicta n. 86. ſic ponitur.

Præit d
exemplo.

Hanc theſin prima vice inveni in Trith. in c. 2. Reg quam doctiſſimus hic abbas ita probat. „Quommodo „audet abbas corrigere in ſubdito, „quod incorrectum deprehendit in „ſemetipſo! Si tu cùm ſis Abbas, & „exemplar cæterorum non jejunas, „quommodo aliis perſuadere poteris „jejunium? Cogis alios ad vigilias ſur-„gere nocturnas, & tu nec quidem „venis ad diurnas? O abba cæce dux „cæcorum! propriâ oris ſententiâ te „feris!

Paulò poſt invenio in meis excerptis hanc eruditionem. Superior bono exemplo evadit quaſi ſui ordinis Patriarcha: nam ut bene Angelus de

de Nuce in c. 29. lib. 3. Chron. Caſſinen. „Rectoris vita ſubditorum eſt regula. Verti folium, & illico incidi in ſequentia. „Idem graviſſimis verbis S.P. Benedictus inculcat c. 2. n.6. Reg. Paulus idem docet 1. Tim. 4. 12. & 2. Tim. 4. 2.

„Sint abbates ſuis ſubditis beneviven-„do duces, & prævii viam demon-„ſtrent, quà rectè gradiendô ad me-„liorem vitam pervenire valeant. „Conc. Turonen. III. c. 4.

Hæc, & plura alia ad probandam præfatam theſin in variis locis hujus tituli congeſſi; ſed quæ illis per puram citationem tum ex libris, cum ex titulis adjeci multis partibus ſunt plura, & majora. Ac quidem ex libris huc digeſſi, quæ Gratianus noſter refert diſt. 36. c. 1. 2. 3. maximè 2. ex tom. 1. vet. Analect. Joan. Mabill. quæ referuntur fol. 2. 47. Taceo alia, quæ ſi admetirer, in integri quaternionis ſpatium haud quaquam cogere valerem. Cùm autem *citatio pura* ex titulo, ad titulum ſit non minus fæcunda; ac ea, quæ inſtituitur ex libro ad titulum, non minorem apparatum tibi afferre poſſem ex titulis *pura citatione* ad titulum *Perſo-*

na Statûs derivatis: 96. 1. habeo ex Sæc. 3. Bened. p. 2. n. 13. S. Othiliam abb. Hoënburgenſem ut primùm clavo admota fuerat, nil antiquiùs habuiſſe, ac ut ſuis 130. monialibus per inſignia vitæ exempla præluceret. Hîc citatum inveni titulum *Virtus* hoc modo

Præit d
exemplis, & Virt.
48. 4.

Aperui titulum, & inveni hanc illuſtrem ſententiam. Is, qui ſcripſit S. Conſtabilîs Abb. Caven. vitam, auctor cùm tintinnabula in veſte ſacerdotali Ex. 28. dixiſſet eſſe figuram boni exempli, addit de S. Conſtabile. „Quia torporem noſtrum tot voces „excitant, quot coram noſtris oculis „exempla virtutum clamant. Mag„num ergo in regno cœlorum non „verba aliquem, ſed opera faciunt: „quia, qui ſumma doceant, multi „ſunt; qui autem ſumma, quæ ſciunt, „vivendo teneant, paüci. c. 1. Vit.

En Euſebi ex hac ſententia duo capio documenta; primum, Si ſcriptam aſpicio in titulo *Virtus*: ubi mihi exprimit hanc affectionem *Virtus*

Eſt

Eſt
præſtantior
doctrinâ.

Alterum ſumo ex titulo *Perſona Status*, ubi mihi graviter probat ſuperiorem debere præire exemplo. Hæc omnia jam facillimam ad *puræ citationis* praxin viam aperiunt. Imprimis *igitur pura Citatio* in margine duntaxat collocari poteſt, ac ponitur initium tituli citati eo intervallo, quod Subalternatio p. 2. c. 3. deſcripta requirit. Subducuntur dein duo numeri iterum ſub debita Subalternatione, ita, ut primus deſignet faciem folii in titulô, ſi ex titulo citas, aut libri, ſi ex librô; alter Subalternum. Si autem velis *pura citatione* exprimere *Infimum*, tres formandi ſunt numeri, ſi aliquis Subalternus adſit, & tum primus ſignat faciem folii, alter *Subalternum*, tertius *Infimum*; numerus tamen, qui exprimit *Infimum*, ſubducendus erit. Velis ergo, ut tibi ex titulo Humilitas *pura citatione* referam Subalterni tertii folio 103 expreſſi *Infimum* ſecundum, mecum inquirito citatum folium. En invenimus *Stabulô* ſub hoc Subalterno.

Obire
vilia in
ſtabulô.

En primus *Infimus* eſt *Vilia*, alter *ſtabulô.* Si itaque eum Subalternum relegenti tibi incidat e. g. quantum Chriſti Humilitas ad ſui contemptum Sanctos deprimat, quære in titulo *Virtus Chriſti* Subductum *Humilitas*, ac ſi ibi inveneris Subalternum

Deprimit
faſtum noſtrum.

Ita ſubjunges titulum Subalternum ex titulo *Humilitas* ſumptum.

Deprimit
faſtum noſtrum, & Hum.
103. 3. 2.

Idem judicium eſto, ſi ex libris *citatione pura* aliquem Subalternum fulcire velis. Exemplum eſto

Obire
Vilia
Joanna Belloprat.
Bened. Rediv. an. 1551.
Gertrudis Men. Bened. 17. Mart.
Eaſteriwinus Boll. 7. Mart.
Joan. Euſtachius Abb. Jardinet.
Faſc. SS. Ciſt. l. 1. diſt. 7. c. 3.

Mala-

Malachias Ep. S. Bern. in Vit.
Wala Abb. Corbeien. ſæc. 4.
Bened. p. 1. l. 1. c. 10. Vit.
Joannes Abb. Gorz ſæc. 5. n. 77.

Si jam Euſebi inquiras citatos locos, invenies non ſine admiratione, quanto ſtudio hi Sancti objerint viliſſima munia. In allatis exemplis vides quoque locum citatum ter novam lineam ſubalternatam tamen efficere, ſi enim in unam referres tam ſanctum, quàm locum citatum, ſpatium marginis non ſufficeret.

Prodeſt porrò plurimùm ad eruditionem, ac uſum notatorum expeditum efficit pura citatio, ſi locum, Rhetoricum rei citatæ ſubjungas. En ſchema *Virtus*

Eſt
jucunda, &
Pat. 15. 3. hiſt.
Hum. 19. 5. Similit.

Hæc *pura citatio* habet hunc ſenſum. in Titulo *Patientia* fol. 15. Subalterno tertio, invenire poſſum hiſtoriam; in titulo *Humilitas* invenio ſimilitudinem, quibus mihi probatur virtutem eſſe jucundam.

Quòd

Quòd ſi velis citare e.g. ex titulo *Charitas* ad titulum *Scientia* hunc Subalternum.

Adire
regna
varia.

Nec tamen in toto titulo *Scientia* haberes *Adire*, collocas in loco apto, & vacuo. Ne autem numeri Subalternorum confundantur & Subalternus, qui modo eſt ordine e.g. tertius, ob alium *pura citatione* adjectum evadat quartus, lex eſto, ut citati tituli nunquam numerentur. Pone námque faciem in quo ſint ſex Subalterni. Cita mihi jam ſextum ad Titulum *Charitas* ex titulo *Patientia*, & prodit

Eſt
neceſſaria
char. 8. 6.

Si jam ante *Eſt* citares alium Subalternum, *Eſt* non amplius foret ſextus, ſed ſeptimus Subalternus, ſicque dicta citatio foret falſa. Ut ergo id abſurdum tollas, nunquam numeres, neceſſe eſt Subalternos citatos. Quoties autem Subalternum jam habes

ad

ad exprimendum ſenſum citationis, ſubjicitur *&*, velut vides in dato exemplo *Virtus.*

Eſt
jucunda, &
Pat. 15. 3.

Ut ſenſus ſit; hîc in titulo *Virtus*, & in titulo *Patientia*, queis probatur jucunditas virtutis, invenis argumenta.

Euſebius Ex hactenus dictis tenerrimam haurio Voluptatem, experiorque animum meum illis delitiis gnaviter parari, quibus piè docti ſolent abundare. Quid enim jucundius, quàm paucis lineolis ſibi parare materiem variæ eruditionis? In queis igitur rebus, & quando uſum puræ citationis potiſſimùm probas? *Eubulus.* Si libri non ſolùm ut legas, patent; ſed etiam librorum, quos legiſti, bibliothecæ, ac ſemper ad manum, & uſum habere potes, amplæ hiſtoriæ, fuſæ narrationes &c. ſunt ex libris citandæ. Cùm autem tua excerpta relegis, ad tot titulos deriva, quæ relegiſti, quot Subalterni relectis novo robore poſſunt firmari. Et

124 *legésque ſequentes*

Et tum utiliſſima ratio habetur titu-li, de quo p. 2. c. 3. n. 82. *Applicationis.* En relegi titulum *Senſus*, ibique inveni moſchum in locis maleolentibus ſuæ iterum reſtitui fragrantiæ. Eam eruditionem traxi ad mores, & didici virtutem potiſſimùm non in aulis principium felicem Arabiam ſpirantibus fragrare, ſed in cavernis, in monaſteriis &c. Es ergo Moſchus? amiſiſti famæ tuæ bonum odorem, exue ſuperbiam veſtium auratarum fragrantiam, colloca te in monaſterio, in quo nullus niſi ſudoris, & laboris odor; & faxit DEUS, non ſolùm bonam nominis fragrantiam recuperabis, ſed &c. Atque ſic eam eruditionem citavi ad titulum *Virtus* ſub hoc Subalterno.

Fragrat.

Poſſes eandem rem dividere in cæteros ſenſus, & quia dixiſti Virtus fragrat inter fætores; progredere ad oculos, & dic: lucet in caligine &c. Pari facilitate liceret eam eruditionem derivare ad exprimendam cujusdam Martyris tetro carceri incluſi conſtan-

conſtantiam, ſi ad titulum *Fides* ſcribas

Fragrat inter
pedores

Verùm de his pluribus diſſeremus p. 3. c. 2. & ſeq. Pro coronide tamen notes, ut ſi inſignis quædam eruditio legenti occurrat, quæ una, vel altera linea poſſit excerpi, pura citatione abſtinendum eſſe, & uſurpandum modum notandi Brevem, aut Breviorem.

CAPUT XII.

De libris, ex quibus ſuam materiem deſumit Ars Memoriæ.

EUſebius. De quibus hactenus diſſeruiſti Eubule, altùm animo impreſſi; & quanto ſtudiô te hucusque audivi diſſerentem, tantis jam flagro ardoribus, ut præcepta menti inſculpta propediem in uſum deducam. *Eubulus.* E Legibus elimatæ prudentiæ loqueris: ars quævis eſt menti, quod robur corpori. 125 *Legere maturè*

Hoc

Hoc enerve erit puero, ſi nolis illius ullum eſſe exercitium, donec adoleſcat: incedat neceſſe eſt adhuc tenellis plantulis, nec magni intereſt etſi eum, cùm ingreſſum periclitatur, prolabi contingat. Hæc infirmitas roboris mater eſt, & periculum lapsûs magna ſecuritas firmitatis. Ita quoque etiamſi ſimus in ſcientia, aut arte quadam pueri, nec absque diſcrimine impingendi in ſcopulos errorum pedes in ſemitâ legum figere poſſimus; incedendum tamen eſt? adeunda ſcientia ceu via, etſi perplexa videatur; ſumendus calamus ceu baculus, etſi admodum debilis appareas; maſticanda documenta ceu panis, etſi inſipidus famem potius irritet, quàm ſoletur. Maturè eundum eſt peregrino, ſi ſyncerè anhelat ad patriam: optima, & prima viantium lex eſt matura peregrinatio. Non facilè viatorem triſtis nox occupat, quem hilaris aurora maturè ſub primam lucem in iter evocat. Illis duntaxat plena dies illuſtris ſcientiæ affulgebit, qui nullâ datâ morâ, obſcura adhuc, & vix diluculente præceptionum prima luce ſe ad iter ſcientiæ comittunt, illico, definiunt, divi-

dividunt, ventilant, etiamſi ignota definiendo, conjuncta dividendo, obſcura ventilando ſoleant ceſpitare. Felix lapſus, qui lapſum non lædit; ſed erigit, munitque, ne unquam periculosè prolabatur. Nullis igitur aut metui, aut torpori, aut tempori datis induciis cape librum Euſebi, para chartam, ſume calamum, & nota, non timeas errare, ſi ritè cupis diſcere. Corpori ære, menti errore comparantur opes. Ex nubila nocte prodit ſerena dies, ex caligine maturæ exercitationis ſcientia.

126 *libros aptos*

Verumtamen antequam à me in hilarem, ſed initio ſcopuloſam notantium viam dimittaris, apta, & ſtomacho ingenii tui congrua annonâ inſtruendus es. Hanc annonam ſcientiarum promi condi dicunt libros: his inquiunt, paſcuntur ingenia, ut cibis corpora. Velut autem non omnis cibus omni ſtomacho: ita quoque non omnis liber omni ingenio congruit. Alio pueri, alio viri nutriuntur cibo; alio Rhetores, alio Theologi inſtituuntur librô. Debilem ſtomachum robuſti cibi non firmant, ſed fatigant. Sublimes libri humile ingenium non levant, ſed gra-

vant. Omnibus rebus ſua eſt menſura: & parva nullo ornatu maritantur magnis. Grande caput parvo corpori non eſt ornatui, ſed dedecori. *ingenio* Unde quisquis librorum prudentem ſelectum velit inſtituere, ante omnia diſpiciat, ad quos ſciendi, diſcendíque fines ſe ſe ingenium poſſit exporrigere: fruſtra enim ars ibi viam rimatur, ubi illiberalis natura ſcopulos inſuperabiles objecit. Sæpe longè majorem & utiliorem progreſſum in ſcientiis faciunt, qui, cùm ſe ad faſtigium Theologiæ volare non poſſe videant, humiliter per plana Hiſtoriæ, Rhetoricæ, aut alterius inferioris ordinis ſcientiæ ſemitam incedunt: ac illi, qui inferiora dedignati ad ſola ſublimia ſuperbè contendunt. Quævis ſcientia grande bonum eſt, ſi bonum animum, & conſtantem uſum in tua mente invenerit, ferésque ejus integer effectus Dominus diſpendia cæterarum haud aliâ fortunâ, ac illi defectum auri, queis ſat eſt argenti. Quævis enim ditat, quævis ornat, quævis nobilitat.

127 Hæc amuſſis ingenii, quo polles, *ſtatui, è* bona eſt; melior ſi applicetur ſtatui, in quo degis, aut brevi deges; optima,

ma, ſi in ingenii latitudine, ſtatûs tui altitudine menſurandâ te dirigi ſines viri prudentis ductu, & conſiliô. Abſit à viro religioſo evolvere politicorum nænias, poëtarum fabulas, torneamentorum leges, aulæ monumenta, novellarum inſulſas narrationes; nullo hæc momento ſunt, & nonnunquam plus minervalis deberetur illi, qui hæc dedoceret, quàm qui docuit. Ad nobiliora ſervandus eſt animus, vis ingenii, temporis nobilis, ſed brevì à morte velut fure abripiendus Theſaurus. O quàm longè ſalubriori animo aguntur ii, qui Hiſtoriam ſui ordinis, ortum, & progreſſum, varios eventus, geſta Patrum, S. Regulæ arcana, & commenta evolvunt! Quisquis in hoc dogma non delinquit, regiam virtutis viam ingredietur; cui autem id parùm curæ, ſæpè abducetur à recto, deprehendétque ſe poſt multa legendi impendia nedum ſcire, quommodo ſe vel ex leviſſimæ alicujus adverſitatis meandrô poſſit expedire. O Euſebi cave tibi ab hoc ſcopulo, qui impingunt, proruunt, cùm minimè timent, in otii barathrum! crede; homines ſicut legunt, vivunt. Boni bo-

na legunt, & hoc peſſimum, quòd, qui à ſuo ſtatu aliena legunt, non advertant fieri malos; cùm tamen, ſi bonum librum inſpicerent, primo obtutu videre poſſent in illo de ipſis nil contineri, niſi quod vituperetur. Et utinam ſinerent ſe hi homines à libris vituperari, ac irretortis oculis inſpicerent, ut tandem peſſimæ ſuæ formæ monſtruoſam imaginem viderent, viſam formidarent, formidatam exuerent.

